

Handwritten text on the spine, possibly a library or collection number, including the characters '17' and '1000'.





918.

V. 10. 4.



Freiherr v. Ende-Mitjeswitz.



DISPUTATIO APOLOGETICA

*Contra*

D. JOH. HEINIUM, PROF. PUBL.

IN ACADEM. MARBURG.

Qui ex novem WENDELINI Argumentis

pro

GRATIA IR-  
RESISTIBILI

In medium allatis, & ante-hac à nobis

confutatis, tria priora ante triennium vindicare mo-

litus fuit, reliqua verò hætenus intacta

reliquit;

*Veritatis & Orthodoxiæ defendenda gratia publicè*

*proposita,*

PRÆSIDE

GEORGIO MOEBIO,

TH. DOCT. ET PROF. PUBL.

Respondente,

M. JOH-VALENTINO LYSTHENIO,

*Martisburg. Misn.*

In Auditorio Theol. Paulino,

*Die XXIX. Augusti. Anno ἐναυθρωπῆσεως M DC LXXVI.*

LIPSIÆ, Literis JOH. GEORGI.

50

4.





VIRIS

*Perquam Generosis, Nobilissimis maximèq; Strenuis, Generosâ Nobilitate & virtute Amplissimis*

DOMINO WILHELMO DIETERICO ab Delschnis/  
Hæreditario in Krigsdorff & Wiesmar &c.

DOMINO JOANNI GOTHOFREDO à Schönfeld/  
Hæreditario in Löbnis &c.

DOMINO ERNESTO à Schönfeld / Hæreditario  
in Löbnis &c.

Sicut &

*Nobilissimo, Amplissimo, Sapientiâ ac autoritate eminentissimo,*

DOMINO CHRISTOPHORO Bachsmuthen / Con-  
suli Reipublicæ Halensis meritissimo ac Prudentissimo Sali-  
natori gravissimo, Affini suo perpetim  
colendo.

Nec non

*Admodum Reverendo, Praclarissimo, atq; Excellentissimo*

DOMINO JOANNI BREVERO, Ecclesiastæ  
apud Rigenses Livoniâ Primario, Consistorii Regiæ Majestatis Svecicæ  
Adfessori gravissimo, ac Scholarchæ, Affini suo hujus No-  
minis unico, unicè amando.

Tandemq;

*Plurimum Reverendis, ac Doctissimis*

DOMINO VALERIO LYSTHENIO, Pasto-  
ri Wallendorffensium dignissimo, vigilantissimo, Parenti meo  
humillimè & obsequiosissimè  
colendo.

DOMINO CHRISTOPHORO SCHAMMELIO,  
Pastori Kreypensium fidelissimo, vigilantissimo, Affini suo  
faventissimo.

DNN. Patronis, Promotoribus, Fautoribus, Affinibus ac Parenti  
paternè & amicè cognitis, omnibus perpetuo honoris & amoris cultu  
devenerandis, suspiciendis, honorandis

Theses hæc vindicatorias

*In devotæ observantiæ & gratitudinis Symbolum, ulteriorisq; patro-  
cini ac benevolentie suscitabulum*

dedicat, sacrat

M. Joh. Valent. Lyfthenius, Martisb. SS. Th. St. & Resp.





במה

## PRÆLOQUIUM

Ad benevolum Lectorem.

**O**cto nunc elapsi sunt anni, *Lector benevole*, quando disputationem solemne contra *Gratiam irresistibilem*, (quæ in Promotione nostra Doctorali Anno 1668. proposita fuit.) pro Loco in Facultate Theol. obtinendo publice habuimus. Distinximus illam in quatuor Capita, & totam istam doctrinam ex fundamento excussimus. Non tantum enim hanc Gratiam secundum Entitatem, & formalitatem suam diligenter ponderavimus, monstravimusque; illam esse purum putum figmentum, nec ullum in Scriptura S. solidum habere fundamentum, inprimis cum ipsi Calviniani in definienda hac sibi passim contradicant, & doctissimi inter illos ignorantiam suam hac in parte profiteantur, vide §. 42. cap. 2. dictæ nostræ disput; Sed insuper adversæ partis argumenta, quæ pro hac ficta Gratia, monstro illo errorum proferunt, examinavimus, & profligavimus, nostra verò ab oppugnationibus illorum, & inprimis *Marci Friderici Wendelini* vindicavimus. Dictam hanc Disputationem ante triennium aggressus fuit *D. Joh. Heinius, Prof. P. in Academ. Marburgensi*, sed nec integram, nec in eâ totum aliquod caput, verum ex cap. III, vix tria è novem *Wendelini* argumentis, quæ à nobis una cum cæteris erant protrita. His suppetias ferre conatus fuit, reliqua verò hæcenus intacta reliquit, id quod merito miramur. Disputationi huic suæ, quam amicus quidam nobis ex *Academia Gissensi* non ita pridem (antea n. illam non vidimus) transmisit, titulum fecit hunc: *Disputatio Theologica de Gratia irresistibili, quæ ex novem Wendelini argumentis pro Gratia irresistibili (l. 1. Christ. Theol. cap. 26. th. 4. §. 6.) in medium allatis, tria prio-*



ra vindicantur ab exceptionibus Georgii Meebii, SS. Theol. D. & Prof. in  
Academ. Lips. quas in Disputatione sua inaugurali Anno M.DC.LXVIII.  
habita, profert.

Hanc, ubi ejus copia nobis facta fuit, avidè perlegimus, &  
diligenter inquisivimus, quid præstitisset Adversarius, & num ar-  
gumenta nostra exceptionibus suis ullâ ex parte labefactasset?  
Sed reipsâ deprehendimus, illa quidem ab ipso fuisse oppugnata,  
minimè verò prostrata. Stant enim per DEI gratiam adhuc in-  
concussa. Tantum enim abest, ut Adversarius illa enervaverit, aut  
*Wendelino suo*, deliquium hîc patienti, efficaciter attulerit remedium,  
& solatium. Judicium committimus erudito Lectori. Qui enim  
hanc nostram Apologiam accuratius ponderaverit, deprehendet,  
*D. Heinium* præter sophisticationes, & inanes λογουαχίας nihil at-  
tulisse. Procul dubio ipsemet satis vidit, conatum ipsius fore fru-  
straneum, cum reliqua nostra argumenta intacta hæctenus præ-  
terierit.

Cæterum non parum mirati fuimus, *D. Heinium* tam subito  
immutatum fuisse, & prorsus aliud induisse ingenium, à pristino  
planè diversum. Nam ille hæctenus ex præcipuis fuit, qui Luthe-  
ranis dextram fraternitatis obtulerunt, qui mutuam tolerantiam  
inter Lutheranos & Calvinianos svaserunt, qui in fundamento fi-  
dei nos cum ipsis convenire constanter affirmarunt, & spem toti  
orbi Christiano fecerunt, fore, ut suo tempore Lutherani & Cal-  
viniani amicè sint conspiraturi, cujus rei luculentus testis est *Col-  
loquium Rinthelense*, cui ille simul interfuit, & fraternum animum  
humanissimè erga nos declarare visus fuit. Nunc affectum hunc  
mutavit, ex Paulo factus Saulus, & Lutheranos passim insectatur,  
illisq; (inter quos etiam est *Dn. D. Joh. Musæus, Th. Prof. P. in A-  
cadem. Jen.* à quo tamen ita exceptus fuit, ut hæctenus erga ipsum  
prorsus obmutuerit, vide ipsius *Tract. de eterno Electionis decreto*)  
bellum indicit. Undè quæso tam subitanea ista metamorphosis?  
Est ne hæc sincera illa fraternitas, & tolerantia, quam hæctenus  
svasit, nosq; ad illam amplectendam tam humaniter invitavit? Hi  
mores pacem & concordiam, quam ille præ se tulit, minimè pro-  
movebunt. Patet autè simul exinde, quo animo ille hanc fraterni-  
tatem nobis obtulerit! Quandoquidem verò ipsi libuit, nos quoq;  
ad pugnam provocare, illam non detrectabimus. Concernit enim  
DEI



DEI gloriam, & Orthodoxiæ nostræ assertionem. Fortassis Ad-  
versarium ad agnitionem hujus periculosissimi erroris, ex quo  
plurimi alii tanquam ex scaturigine venenata profluunt, per DEI  
gratiam sumus deducturi, id quod unicè optamus!

*Christum Jesum extoto corde veneramur, velit mentem & linguam  
nostram dirigere, quò nihil, quod contra ipsius sit verbum & orthodoxam  
veritatem, dicamus, & proferamus! Faxit insuper, ut hoc nostrum pro-  
positum cedat in ipsius divini nominis gloriam, & errantium salutem!*

§. 1. Adversarius ab initio proponit statum Controver-  
sæ ex Wendelino hunc in modum: *Wendelinus quæstionem de efficacia  
gratiæ convertentis, sive de gratia irresistibili proponit his verbis: An DEUS  
gratiâ suâ in homine conversionem ita efficiat, ut gratiâ illâ convertente, una  
cum intentione DEI de convertendo homine positâ, homo necessariò conver-  
tatur, vel conversionis effectus semper & infallibiliter ponatur? Huic quæ-  
stioni talem subiungit ἐπιεικῶς: Dicit (sc. Wendel.) ita quæri in-  
ter nos, Pontificios, & Arminianos; sed addidisse oportuit, & Lutheranos, sc.  
Neotericos. Ei enim illis se adjunxerunt, & cum iisdem negativam tueri  
conantur; Wendelinus cum Reformatis ceteris tuetur affirmativam.*

§. 2. Duo hîc notamus; 1. Falsum est, Pontificios & Ar-  
minianos nobiscum uno sensu affirmativam hujus quæstionis de-  
fendere. Nam quod Pontificios attinet, pleriq; ex illis, inprimis  
Scholastici, & qui Thomam sectantur, collocant divinæ a-  
ctiōis vim in conversione hominis in prædeterminatione physi-  
ca, quâ Deus tantâ vi, & motione voluntatem, antequam consen-  
tit, coarctet, ut non possit non consentire in actum. Ita Franciscus  
Zumel. qu. 22. art. 4. Tom. 2. variar. disp. in 1. Tom. discurs. 5. sect. 6.  
propof. 3. p. 219. seqq. quod repetit Tom. 3. disp. 4. p. 209. seqq. Bannes in  
1. part. Thomæ qu. 19. artic. 10. dub. 1. qu. 22. artic. 4. Alvarez disp. 22.  
num. 1. Svarez l. 1. cap. 16. num. 8. seqq. aliq; plurimi, adeo ut B. D.  
Hülsemann. de Auxil. Grat. disput. 3. p. 166. haut abs redicat, plerosq;  
modernorum Papistarum (in hoc puncto) in Calvini castra concessisse.  
Confer quoq; ibidem p. 302. seqq. Imò Rivetus in Cathol. Orthod.  
Tom. 3. Tract. 4. quæst. 4. p. 194. edit. Genev. in fol. tuetur se contra  
Jesuitam Bailium, Scholasticorum assertionibus. Quid? quod ipse  
Bellarminus in hoc negotio absolutum decretum propugnet! Ita  
enim ille l. 2. de Grat. & lib. Arbitr. c. 8. p. 602: *Credimus, Deum  
absolutâ voluntate velle salvare multos tum parvulos, tum adultos, & ab-*  
A 3 *solutâ*



absolutâ voluntate alios non velle salvare, tum parvulos, tum adultos. Idem docent alii non pauci. Quæ sententia nihil aliud infert, quàm quod hominis voluntas in Conversione necessitetur. Hanc doctrinam verò nos toto animo rejicimus. Sed nec Arminiani eandem nobiscum hinc tuentur sententiam. Nam illi 1. docent, hominis intellectum in Conversione ex se illuminationi Spiritus S. non posse resistere, cum ab objecto suo determinetur. Vide declarat. Remonstrant. circa Artic. III. & IV. in Actis Synodalib. p. 16. 2. docent, Deum etiam sine externâ Evangelii prædicatione procul dubio convertere multos ad salutarem Christi cognitionem inter eos, ubi nulla est externa prædicatio. vide Armin. Respons. ad Artic. 28. & in Disput. publ. p. 159.

§. 3. Talem Doctrinam Lutherani non profitentur, adeoque D. Hein. injuriam veritati facit, quando Pontificios & Arminianos nobis adjungit, quasi nobiscum quæstionis supra propositæ affirmativam tueantur.

§. 4. II. Nec status Controversiæ à Wendel. nec à D. Hein. rectè fuit formatus. Notavimus hoc respectu Wendelini, in nostra Disput. de Grat. irresist. cap. 3. §. 48. seqq. Adversarius quidem cum suo Wendel. h. l. ita proponit: *An Deus gratia suâ, in homine Conversionem ita efficiat, ut gratiâ illa convertente una cum intentione DEI de convertendo homine positâ, homo necessario convertatur, vel conversionis effectus semper, & infallibiliter sequatur?* Sed subdole ita formant. Explicanti enim alibi ita, nos simul docere, in nostra potestate libera esse, ut possimus non converti, id est nosmetipsos vel convertere, vel non convertere. Ita enim Wendel. alibi conceptis verbis statum Controversiæ proponit; *An positis omnibus operationibus gratiæ, quibus ad Conversionem in nobis efficiendam Deus utitur, maneat tamen Conversio ipsa ita in nostra potestate libera, ut possimus non converti, id est, nosmetipsos vel convertere vel non convertere?* Vide Part. 2. Exercit. CXXXVII. p. 130. Affirmativam autem hujus quæstionis nobis affingit. Idem etiam faciunt Palatini in Synod. Dordrech. in Judic. Est. p. 180. Edit. Dordrechtane, quam in hac Disput. semper citamus, Hassi ibidem, p. 191. Nassovio-Wetteravi, p. 199. Embdani, p. 238. Frider. Spanhem. in Disput. inaugurali th. 50; Imo in nupero Colloquio Cassellano, cui Adversarius ipsemet interfuit, hic status ita formatus fuit; vide brevem Relat. de hoc Colloquio. p. 7. Eadem absurda sententia impingitur nobis etiam à Joh. Hoornbek, qui non veretur scri-



scribere, quosdam Lutheranos asserere & concedere, in homine potestatem non resistendi verbo DEI, naturâ esse posse; vide ipsius *Summam Controversiar.* p. 725. *Edit. noviss.* Sed indicare debebat *Hoornbeckius* cum suis Doctoribus, qui nam sint illi, qui ita doceant, & ubi talia asserta inveniuntur? Quamdiu hoc non monstraverint, agnoscimus hoc pro pura calumnia.

§. 5. Contra formationem hujus status nos protestati fuimus in dicta nostrâ Disputat. c. 1. & monstravimus, quod nemini, qui Augustanam Confessionem sincerè profitentur, tale quid in mentem unquam venerit. Hoc dogma autem eum in finem nobis affingitur ab adversa parte, ut nos inculpent, quasi propugnemus semipelagianismum, qui oriatur ex libertate sequendi Deiq; gratiam ad hoc saltem prærequiri, ut excitet & eliciat assensum in voluntate, qui nunquam secuturus esset, nisi præexistet eliciens.

§. 6. Hæc doctrina itaq; à nobis longissimè abest, id quod pluribus in nostra disputatione ostendimus. Legit hæc omnia Adversarius noster, nihilominus silentio præterit, & tacitè approbat injurias, quas cum aliis *Wendel.* nobis, & Ecclesiis nostris hæc in parte intulit. Imò ipsemet hanc injuriam repetit, uti in progressu hujus disputationis videbimus.

§. 7. Si ergo status controversiæ non rectè formatur, rationes, quibus Adversarius pugnat, à scopo abluant necesse est. Nos jam ipsum insequamur, & quid ad nostra argumenta reposuerit, expendamus.

§. 8. Antequam verò hoc faciamus, monemus ægre ferre Adversarium, quod ipsum, & ejus socios *Calvinianos* appellemus. Nos enim *odiosè illos ita vocare*, aliquoties indignabundo ore exclamat in hac sua disputatione. Miramur autem, illum propterea stomachari! Nam ipse *Calvinus* suos sectatores à proprio nomine suo, jam olim ita nuncupavit, in *Volum. Tractat. Theol.* f. 844. Nec abnuvit *Frider. Spanhemius*, sed concedit, rectè nominari Calvinianos, si probetur, Calvinum in iis, in quibus ipsum sequuntur dogmatibus, novam, vel alienam à Doctrinâ Christi, & Apostolorum doctrinam tradidisse, *Part. 1. Miscell. Diss. p. 112.* Admittit quoq; hoc nomen *D. Conrad. Bergius* in *Praxi Cathol.* p. 1319. *Vocent nos sane, inquit, si lubet, Calvinianos. Non invidiam nominis, nec*

commu-



communione hominis magis forte inuisi detrectamus. Imo *Wilhelm. Croweius*, Scriptor Anglicanus in *Elencho Scriptorum*, qui super Biblia S. commentati sunt, Anno 1673. Londini in lucem emisso, quando authorem ex Reformatis citat, qui in hunc, vel illum librū Biblicū scripsit, semper appellat *Calvinianum*. Haut ergo ægro feret animo, nos ipsius in fide socios hęc in parte imitari. Jure quoque nos hoc nomine Reformatos ita appellare, multis argumentis probant *D. Huterus* in *Calvinist. aulic. politico*, p. 294. *D. Menzer*. in *Anti-Crocio* p. 7. *D. Walther* in *Dissert. de his Nomin.* th. 93. pag. 215. *D. Dannenhauer*. part. 1. *Hodom. spir. Calv. in præm.* p. 21. seqq. *D. Calovius* in *Exam. Doctrin. de Person. Christi* p. 1. seqq. ad quorum fundamenta, si Adversario falsa videbuntur, respondere potest.

§. 9. Primum itaq; *Wendelini* argumentum, quod in dicta nostra disputat. confutavimus, tale fuit: *Quæcumq; vis Spiritus tam efficax & potens fuit, ut Christum à morte suscitaverit, & quidem ita, ut illa in actu posita, non potuerit non Christus à mortuis resurgere, illa etiam efficaciter, & eodem modo nos in peccatis mortuos resuscitabit, ita, ut eã in actu posita, homo non possit non converti.* Atqui vis illa Spiritus Christum excitantis tam efficax & potens fuit, ut à morte ipsum suscitaverit, & quidem ita, ut in actu posita, Christus non potuerit non à mortuis resurgere. Ergo etiam eadem vis efficaciter, & potenter nos in peccatis mortuos suscitabit, ita ut in actu posita, non possit non homo converti. Connexionem Majoris inde probavit *Wendel.* quia Spiritus nos regenerantis, seu convertentis vis non minus sit efficax, & potens, quàm quæ se exeruit in Christo, cum à mortuis resuscitaretur, *Eph. 1, 19.*

§. 10. Ad hoc i. ita respondimus: Negamus Majorem. Non enim sequitur, Christus fuit vi insuperabili à morte resuscitatus, ut non potuerit non resurgere; Ergo etiam homines non regenerati eodem modo convertuntur. Ratio diversitatis est hæc, quia Deus in Conversione nostra non absolutè, sed modo agit ordinario, per verbum scilicet, & Sacramenta.

§. 11. Adversarius talia regerit: Major negari non potest; sequitur enim, Christus fuit vi insuperabili à morte resuscitatus, ut non potuerit non à morte resurgere; Ergo etiam homines non regenerati eodem modo convertuntur. Neq; hæc ratio diversitatis est talis, quæ consequentiam infirmet, & elevet. Agit quidem Deus in conversione hominis ordinaria modo ordinario per verbum scilicet & Sacramenta; ac proinde hoc respectu



respectu non absolute; absolute scilicet à modo ordinario, sive à mediis ordinariis, quæ sunt verbum & sacramenta. Non agit inquam, voluntate hoc sensu absolute. Agit tamen Deus in Conversione nostrâ absolute, & voluntate absolute, absolute inquam, à conditione ab homine irrogenito ex naturalibus liberi arbitrii viribus efficiendâ prius, quàm ipse regeneretur, & à DEO convertatur. Per hanc conditionem autem intelligit non resistantiam malitiosam, quâ absente Conversio peragitur. Hæc multis ibidem proponit, ita ut quod semel dixerat, bis, terve, paucis immutatis verbis, non sine tædio repetat. Quando autem concedit, Deum in conversione hominis ordinariâ agere modo ordinario per verbum & Sacramenta, explicat simul, quo sensu sumat ista media. Nimirum dicit, illa tantummodo esse moralia. Hæc enim sunt ipsius verba p. 2: *Deus agit in Conversione nostrâ voluntate ordinariâ per potentiam ordinatam, sive ordinariam, exerentem sese per media ordinaria, per media, inquam, moralia, non physica, & realia, in esse fidei realiter insuentia. Verbum & Sacramenta sunt organa, sive instrumenta moralia, non physica. Verbum DEI concurrat ad conversionem, sive regenerationem hominis ut signum, Sacramenta, ut signa & sigilla.*

§. 12. Resp. 1. Major à nobis rectè fuit negata. Nulla enim prorsus est consequentia: Christus fuit vi insuperabili à morte resuscitatus, ut non potuerit non à morte resurgere. Ergo etiâ eodè modo homines non regeniti convertuntur. Rationem diversitatis firmissimam dedimus hanc, quia Deus in conversione nostrâ non absolute, sed modo agit ordinario, per verbum scilicet, & Sacramenta. Ad hoc Adversarius frustra reponit, dicens: *Major negari non potest; sequitur enim; Christus fuit vi insuperabili à morte resuscitatus &c.* Ergo. Sed nullam hujus sequelæ affert rationem, Nudè tantummodo, & simpliciter affirmat. Affirmanti autem incumbit probatio. Quâ ratione itaq; consequens ex antecedente rectè inferatur, ille debebat probare. Sed hîc tacet, & putat, nos nudæ ipsius assertioni statim fidem adhibere.

2. Rationem diversitatis à nobis allatam negare non potuit, sed admittit. Ita enim scribit: *Agit quidem Deus in conversione hominis ordinariâ modo ordinario per verbum scilicet & Sacramenta, ac proinde hoc respectu non absolute, absolute scilicet à modo ordinario, sive à mediis ordinariis, quæ sunt verbum & Sacramenta. Quò verò glaucoma*  
B faciat,



faciat, & Lectorem detineat, alium respectum adducit, quo ex ipsius sententia dici possit, Deum in Conversione hominis absolute etiam agere. Ita enim pergit: *Agit tamen Deus in Conversione nostra absolute, & voluntate absolutâ, absolutâ, inquam, à conditione ab homine irrogenito ex naturalibus liberi arbitrii viribus efficienda prius, quàm ipse regeneretur, & à DEO convertatur.* Sed de industria hîc sophisticatur, & falsissimam nobis affingit sententiam. Quis enim unquam ex sinceris Lutheranis ita docuit, quod scilicet Conversio hominis irrogeniti pendeat à Conditione, ab ipso ex suis naturalibus liberi arbitrii viribus efficiendâ prius quàm ipse regeneretur, & à DEO convertatur? In quibus Ecclesiarum nostrarum libris Symbolicis, vel in quorum saltem Theologorum *ymolus* Lutheranorum scriptis, vel Tractatibus Adversarius hæc legit? Libri, & paginae debebant annotari. Pura puta calumnia est, quâ Ecclesias nostras orthodoxas proscindit. Hunc errorem de residuis viribus liberi arbitrii in Conversione hominis irrogeniti partim olim Pelagiani, partim adhuc Pontificii, Synergistæ, aliique propugnant, quem nos extremè detestamur.

§. 13. *Dicis:* Lutherani tamen docent, si homo in sui conversione non malitiosè resistit, tunc Conversionem ipsius perfici. Ergo sequitur, quod Conversio illa pendeat à non resistantiâ malitiosâ in tali homine.

§. 14. *Resp.* Falsum est, quod non resistantia malitiosa pendeat à viribus liberi arbitrii naturalibus. Nam conditio illa, quâ homo non morose, vel malitiosè Deo convertere ipsum intendenti resistit, haut provenit ex naturalibus liberi arbitrii viribus, sed ab efficaci operatione verbi divini, quod irrogenitus audire debet, antequam convertatur. Hoc quidem ille habet in viribus suis, ut possit audire verbum, & templum frequentare, sed ut cum fructu audiat, nec malitiosè amplius resistat, hoc non habet à se, & à naturalibus suis viribus, sed ab ipsa verbi divini operatione. *Alia itaq; questio est de libertate negandi assensum, alia de libertate præbendi.* Prius semper est in homine irrogenito, haut verò posterius. Ostendimus hoc luculenter in Disputatione nostra, quam Adversarius impugnat, §. 50. Hanc ille legit, sed videre noluit. Multa ergo sicco pede transilit, & objectiones format, quas jam dum confutavimus. Quo autem aliis hoc constet, & simul manifestum



nifestum fiat. quàm frigidè contra nos disputet, repetamus illa ex allegata disputatione. Sic enim patebit, illum nihil hîc attulisse, quod non antea à nobis solidè fuerit confutatum. Verba nostra in dicta disputatione cap. IV. §. 77. fuerunt hæc: *Docent Orthodoxi, conferri auditoribus per verbum, & efficaciam verbo divino inditam, tantam gratiam, ut possint divinae motioni operanti non morosè resistere. 2. Homine autem non repugnante morosè, hanc esse intrinsecam efficiam verbi divini, ut subinde majores, & vehementiores motus in homine excitet, donec successivè convertatur, & renovetur, neq; tamen hæc omnia esse irresistibilia, sed hominem liberè credentem retinere intrinsecam facultatem hîc, & nunc non credendi, quamvis illa manens potentia non credendi, miseria potius, quàm facultas dici mereatur.* Allegavimus etiam in hanc rem B. D. Hülsemann. de Auxil. Grat. p. 316. seqq. qui hæc latè persequitur.

§. 15. Hanc assertionem certis fundamentis confirmavimus. Subjuximus enim §. 84. sequentia: *Quod autem talis gratia per verbi auditum, & efficaciam verbo inditam, Auditoribus conferatur, ut divinae motioni operanti possint non morosè repugnare, probamus ex Classico illo dicto Joh. XV, 12: Si non venissem, inquit Christus, neq; predicassem eis, peccatum non haberent; nunc autem, ne pretextum quidem habent. Exinde manifestè colligimus, Judæos vires antea accepisse admittendi voluntatem DEI, predicatione illâ revelatam. Si enim non accepissent, utiq; pretextum habuissent. At Salvator expressè dicit, illos, quia eis predicaverat, nullum habere pretextum, cum per predicationem talis gratia ipsis fuerit collata, ut potuerint non morosè resistere.* Subjuximus postea exemplum de Rege Agrippa his verbis: *Quorsum quæso postulasset fidem Regis Agrippæ Apostolus, finita Concione suâ, quando eum his compellat verbis: Credisne Rex Agrippa? Scio te credere, Act. XXVI, 27. nisi supposuisset, Agrippam vires credendi à Deo per auditum verbi, ejusq; efficaciam accepisse? Has enim ex seipso Agrippam habere non posse, minimè ignorabat Apostolus. Quis autem affirmaret, Apostolum præsupposuisse, Agrippam ex viribus propriis hoc habuisse, ut credere posset, cum passim contrarium doceat? Vide Rom. III, 12 & cap. VIII, 6. 2. Cor. III, 5 Eph. II, 1.*

§. 16. Adjecimus postea §. 85. hæc: *Ex his omnibus Wendelinus satis perspicere potest, nos minimè suspendere conditionem audiendi verbum à potestate, vel viribus liberi arbitrii nondum renati hominis. Hæc nunc Wendelini hyperaspistes D. H. legit, & cognita habuit, nihilominus ne gry quidem respondit, cum tamen eius*



argumentum, quo ex falsâ hypothesi contra nos pugnat, planè destruant & evertant.

§. 17. Judicet nunc ex hisce, *Benivolus Lector*, an Lutherani per hanc sententiam in S. Scriptura satis fundatam, conversionem hominis irrogeniti suspendant à conditione, quæ ex naturalibus liberi arbitrii viribus efficienda prius fit, quàm ipse regeneretur? Quilibet satis deprehendet, Adversarium veritati, & nobis manifestam inferre injuriam.

§. 18. 3. Executiendum est porrò; An ista conditio, scilicet, non resistèntia malitiosa sit causa impulsiva, vel talis conditio, quæ moveat Deum, & operetur Conversionem, ac Salutem? Affirmativam passim nobis imputat Adversarius, in primis *Exercit. I. §. 140. p. 151*, sed reclamante veritate. Nam causa impulsiva nostræ Conversionis sola est DEI misericordia, & gratia, ac meritum Christi, haud verò non resistèntia malitiosa. Illa enim est tantùm medium, per verbum in nobis excitatum, quo posito gratia DEI in nobis operatur. Eleganti simili Dn. D. *Joh. Musæus* Adversario nostro hoc ostendit in *Dissert. de eterno Elect. Decret. cap. XI. n. CCCCV. p. 305*, quod hîc repetere lubet: *Sint duo, vel tres mendici, inquit ille, primo aspectu æquè miserabiles, qui in via publicâ desidentes eleemosynam à prætereuntibus expectent, quorum D. Hein. æquâ tangatur misericordia, & pro suâ, quâ in proximum egentem flagrat charitate, præq; ratione facultatum omnibus tribus porrigat eleemosynam, & tantum tribuat secundo, ac tertio, quantum primo. Causa porrectæ eleemosynæ impulsiva ei citra dubium est sua misericordia, eaq; erga tres mendicos exteriori aspectu æquè miserabiles, & egentes, æqualis. Faciamus jam, eum, qui ordine primus est, accipere eleemosynam porrectam manu extensâ; reliquos duos autem, qui plus expectaverant, alium nolle manum extendere, & eleemosynam oblatam acceptare, alium repellere manum porrigentis, & eleemosynam ei excussam pedibus conculcare. Duo posteriores rectè dicuntur per suam resistèntiam in culpâ fuisse, cur eleemosynæ participes non sint facti. Num autem propterea primi non resistèntia, vel manus ejus ad accipiendum eleemosynam extensa D. H. causa impulsiva fuerit, cur eleemosynam ei dare voluerit, & dederit? Certè si suum hæc de re animum consuluerit, dicet, suam misericordiam mendicorum miseriam provocatam, fuisse sibi causam impulsivam, cur & voluerit ipsis omnibus pariter dare, & cur primo reapse illam dederit eleemosynam, & quâ motus secundo etiam, & tertio etiam dare constituerit?*



stitnerit, priusquam vel de primi non resistantia, vel de cæterorum resistentia secuta, sibi quicquam constitisset: Sic Deus solâ erga nos bonitate, misericordia, & gratia, nostrâ, in quam per peccatum omnes incideramus, miseriam provocatus, velut causa impulsivâ internâ, & Christi merito, velut causâ impulsivâ externâ motus offert verbum suum, tanquam organon accendende fidei, tum his, qui non malitiosè resistunt, tum aliis malitiosè resistentibus, in utrisq; fidem in Christum per illud operaturus. Non enim vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat; Non vult quempiam perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere. Qui ergò verbum oblatum contemnunt, idq; audire & meditari nolunt, vel modis aliis, ne fides in ipsis accendatur, malitiosè resistentes impediunt, illi sibi ipsis per suam malitiosam resistentiam in causa sunt, cur fidei in Christum participes non fiant. Deus enim solâ suâ bonitate, Christi q; merito motus voluit eam in illis, æquè ac in aliis accendere. Contra autem qui non æquè, ac illi malitiosè resistunt, in eis operatur Deus fidem per verbum, non aliâ motus causâ impulsivâ, quàm quâ motus eam in ipsis, & aliis operari volebat, quæ non est illorum, non resistentia, sed ipsius bonitas, misericordia, & gratia, ipsorum miseriam provocata, & Christi meritum, uti dictum. Hactenus laudatus Dn. D. Musesus, ad quæ, ut & alia ipsius accurata argumenta D. Hein. hactenus nihil respondit.

§. 19. Examinabimus nunc etiam, quod supra §. 11. monuit de mediis illis divinitus ordinatis, verbo sc. & Sacramentis. Hæc enim tantummodò esse media moralia contendit, non physica, & realia. Ita enim scribit p. 2: *Verbum DEI, & Sacramenta sunt media moralia, non physica, & realia in esse fidei realiter influentia. Verbum DEI concurrat ad Conversionem ut signum, sacramenta ut signa, & sigilla.* P. 16, eadem ferè repetit: *Verbi Dei operatio non est alia nisi moralis, nempe præceptio, prohibitio, adhortatio, dehortatio, suasio, dissuasio &c.* Deum itaq; ab operatione & efficacia verbi divini prorsus excludit.

§. 20. Resp. 1. Hæc suâ assertionem manifestò contradicit S. Scripturæ, & omnem illi efficaciam derogat. Nam in hoc potissimum causa physica, & moralis sibi opponuntur, quod causa physica, quatenus talis, reali influxu, & per suam Entitatem jam existentem ad effectum concurrat, moralis autem nec reali influxu ad effectum concurrat, nec eum producit per suam Entitatem, sed per Entitatem causæ physicæ, sicut in Medico patet,



qui sanitatem ægri operatur, non per suam Entitatem, sed per Entitatem medicamenti, atq; adeo nec actione reali propriâ, sed alterius rei. Aliter autem se res habet cum verbo Dei, utpote quod per infinitam suam efficaciam realiter influit in effectum, & hâc ratione ut causa physica agit. Quò autem omnis ambiguitas removeatur, notandum est, quod *physicè agere*, duobus modis intelligi possit; *vel* enim idem est, quod vere agere, atq; per propriam suam entitatem attingere effectum, eum per se producendo; *vel* idem est, quod agere instar agentis naturalis. Eodem ferme modo explicat Rivet. *de Grat. DEI Dispens. Disput. 9. th. 7. p. 165.* Quando igitur docemus, verbum DEI, ut & sacramenta ex instituto, voluntate, & promissione DEI verè, & per propriam suam Entitatem, quam ut efficacissima organa divina habent, effectum producere, tunc priori modo sumimus. Omnino enim ista actio est physica, utpote quæ realiter influit in effectum. Probamus hoc

1. Ita: Quodcumq; verbum est Spiritus, & vita, imo quod est potentia DEI ad salutem, id intrinsecâ potentiâ in se, ac per se præditum esse oportet, nec demum in usu incipit esse efficax, sed etiam extra usum, quippe qui accidit solùm eidem, & ab eodem abesse potest.

Atqui verbum DEI tale est. Ergo Major est satis firma. Nam potentia DEI actum primum virtutis divinæ designat, non verò solum secundum actum. Quia itaq; usus verbo accidit, hinc accidens naturam, & proprietatem rei non mutat.

Minor patet ex Scriptura. Appellatur enim illud verbum *Spiritus & vita*, Joh. VI, 63. *potentia Dei*, 1. Cor. I, 18. *potentia ad salutem omni credenti*, Rom. I, 16. verbum *ἔμψυχον*, quod potest salvare animas, Jac. I, 21. *λόγος ζωῆς καὶ ἐνεργῆς*, vivus sermo & efficax, Hebræor. IV, 12.

2. Nulla moralis suasio potest effectum supernaturalem producere. Atqui adhortationes, & dehortationes, &c. sunt morales suasiones. Ergo.

§. 21. II. Hæc Adversarii sententia manifestò Pelagianismum præsupponit. Nam quicumq; in Conversionis actu suadet, & persuadetur, vel uti *Wendel. Exercit. 137. §. 49.* loquitur, idoneis rationibus ad credendum inducitur, (hunc enim ob finem suasiones



fiones adhibentur) ille habet quasdam vires residuas, quibus per-  
motus suasionibus assentitur.

At qui homo irrogenitus in Conversionis actu suadetur, aut  
persuadetur, vel idoneis rationibus ad credendum inducitur.  
Ergo. Consequentia Majoris satis est firma. Nam nemo ad cre-  
dendum persuadetur, nisi adsint quedam residua vires, quibus  
permotus suasionibus istis assensum præbeat. Verum hoc esse,  
agnovit ipse Rivetus, Theologus inter Calvinianos magni nomi-  
nis. Hinc *Disput. IX. de gratiosa Dei dispens. th. 29. p. 172.* ita scri-  
bit: *Omnis moralis suasio potentiam, & vires supponit in eo, qui suade-  
tur, secus irrita est suasio, & Consilium. At in homine non renato, quæ  
nam vis esse potest ad Conversionem suam? Eâ de causa etiam reji-  
cit ibidem sententiam illorum, qui actiones, vel suasiones mora-  
les hinc introducunt. Idem faciunt Britanni in Synod. Dordrecht.  
in Jud. Ext. p. 173. Wetteravi p. 99. Ludov. Crocius in Synt. p. 1040.*

§. 22. Quæ verò de Conversione extraordinariâ insper-  
git, quasi exinde (quia absolutâ Dei voluntate illam fieri con-  
cedimus) sequatur, etiam ordinariam Conversionem eodem mo-  
do fieri, falsa sunt. Diluemus hæc paulo post, §. 30.

§. 23. Perstat ergo nostra data prima responsio, quæ *Wen-  
delini* argumentum primum infregimus. Exceptiones adversa-  
rii nullius esse momenti, æquus Lector satis deprehendit.

§. 24. II. Ita respondimus: Posito, quod comparatio  
virtutis divinæ in resurrectione Christi sese exerentis cum vir-  
tute, & vi nos regenerante institui possit; attamen *secundum quid*  
esset intelligenda, scilicet *ratione magnitudinis, & vehementia gratia, non*  
*verò ratione modi irresistibilitatis*: vehementia ergo Gratia admira-  
tione meritò digna est ob indispositionem subjecti convertendi,  
& donorum recipiendorum, quo respectu Gratia Dei indisposi-  
tioni convertendorum opponitur. Quod autem admirabilitas  
illa consistat in irresistibilitate hominis, nunquam Wendelinus  
probabit.

§. 25. Adversarius hanc responsionem ita impugnat: *Com-  
parationem virtutis sive potentia divina in suscitatione nostrâ spirituali,  
& regeneratione sese exerentis, cum virtute sive potentia divina, quæ in  
corporali suscitatione Christi ex mortuis se exeruit, ipse Apostolus insti-  
tuit, ut ex ipso textu est perspicuum.*

§. 26.



§. 26. Resp. 1. Falsum est, ex textu esse perspicuum, ipsum Apostolum comparationem virtutis, sive potentiae divinae in suscitacione spirituali, vel regeneratione sese exerentis cum potentia divina, quae in corporali suscitacione Christi ex mortuis sese exeruit, instituere. Si enim 1. Comparatio Spiritualis resuscitacionis cum resuscitacione corporali Christi hic instituere- tur, tunc necesse esset, ut vel verbo saltem Apostolus illam expressisset. Probare quidem hoc vult Adversarius ex verbo credere p. 5. hoc modo: *Si credimus, etiam regeniti sumus à Deo pro efficacitate roboris virium ipsius, quod exeruit in Christo, quum suscitavit eum à mortuis.* Sed qualis quæso consequentia: Apostolus optat in textu, ut habeamus illuminatos oculos cordis, ut sciamus, quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus secundum operationem potentia virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dextram in caelestibus: Ergo comparationem instituit inter suscitacionem nostram spirituales, & suscitacionem corporis Christi? Consequentia hæc prorsus vacillat, & à scopo Apostoli aberrat. Ille enim afflictos Ephesios vult consolari, ipsos aliquando, etiamnunc hic multa mala tolerant, & morti tradantur, à morte tamen iterum esse resuscitandos pro efficacitate roboris virium ipsius, quod exeruit in Christo, quum suscitavit eum à mortuis. Verum hunc esse hujus loci sensum, agnoscunt præstantissimi inter Doctores Calvinianos. Ita enim ipse Calvinus, Comm. in h. l. apud Marloratum p. 813: *Merito autem nos patientiam illam in Christo hic intueri jubet. Nam in nobis adhuc latet* (sc. illa potentia. Jam verò si adhuc latet, tunc sequitur, quod in Conversione nostra non fuerit demonstrata) *quia virtus DEI infirmitate perficitur, 2. Cor. XII, 9. Nos enim adhuc mortis subjacemus imperio: Ille caelesti potentia excitatus à mortuis vitæ dominium habet. Nos sub peccati servitute laboramus, & infinitis miseriis circumdati militamus duram militiam; Ille ad dextram Patris sedens summam in caelo & in terra gubernationem obtinet, & devictis, subactisq; hostibus magnificum agit triumphum &c. His de causis opera pretium est, sensus nostros in Christum transferre, ut in eo, quasi in speculo gloriosos divine gratiæ thesauros, & immensam virtutis magnitudinem cernamus, quæ nondum in nobis sunt conspicua. Si itaq; nondum in nobis sunt conspicua, quomodo in conversione nostra per vim irresistibilem fuere declarata? Verissima*



fima est hæc *Calvini* sententia. Astipulatur quoq; *Wolffg. Muscu-*  
*lus*, quem *Beza* magnum appellat *Theologum in Epiced.* apud *Melch.*  
*Adami* in *Vit. Theol.* p. 389. Hinc *Comm.* in h. l. p. 18. ita scribit:  
*Alii verò sic legunt, ut illud, qui credimus, absolute accipiant, pro, qui*  
*credentes, ac fideles sumus, & hinc distinguunt, ut, quod sequitur; secun-*  
*dum efficaciam roboris &c. referant ad excellentem magnitudinem poten-*  
*tie illius, quam in nos declarabit secundum efficaciam roboris ejus, quam*  
*in Christo exeruit. Quemadmodum robore potentia sua excitavit illum*  
*à mortuis, & ad dexteram suam exaltavit: Ita & nos secundum eandem*  
*potentiam suam excitabit &c.* Et hanc sententiam amplexus est *Ambro-*  
*sus*, mihiq; probatur, quemadmodum etiam nonnullis aliis. Ita optimè  
*Muscus* cum *Ambrosio*, & aliis. Eodem modo etiam interpre-  
 tatur *D. Joh. Crocius*, *D. Heini* olim antecessor. Verba ejus *Comm.*  
 ad h. l. p. 318 sunt hæc: *Deniq; poterat dicere à morte; suscitavit enim*  
*eum à morte; Non dicit, sed ex mortuis, idq; annotante Musculo, & Zan-*  
*chio, ut ostenderet, Christum in morte reliquis mortuis fuisse conjunctum,*  
*pro quibus erat mortuus. Ille primogenitus ex mortuis I. Cor. XV, v. 23.*  
*Unde prona collectio: Si ille potentia DEI resurrexit; Ergo ejus fratres,*  
*& membra similiter resurgent ad gloriam eandem Dei potentia. Ideo pre-*  
*catur Apostolus, ut Ephesiorum oculi illuminentur ad intuendam Dei po-*  
*tentiam in Christo, excitato à mortuis. Ita ex textu rectè cum aliis*  
*argumentatur Crocius. Hi itaq; omnes non de potentia irrefi-*  
*stibili in Conversione, sed de potentia Dei in resurrectione no-*  
*strâ olim exerenda intelligunt. Ab his suis Doctoribus Adver-*  
*sarius sine ullâ ratione secedit, & aliam, eamq; coactam, & in textu*  
*minimè fundatam explicationem cum Wendel. nobis obtrudere*  
*conatur. Si verò ex textu perspicuum est, uti ille clamat, com-*  
*parationem hinc institui inter resurrectionem spiritualem, & Chri-*  
*sti resurrectionem corporalem, tunc hosce nominatos Doctores*  
*Calvinianos stupidos, & cæcos fuisse oportet, qui non viderunt,*  
*quod Adversarius statim vidit.*

2. Dicit, talem Comparisonem ratione modi irresistibili-  
 tatis hinc institui, manifestum esse exinde, quia potentia divina per  
 quam credimus, & Christus suscitatus est, tribuatur ὑπερβαλλόν  
 μέρει, supereminens & excellens magnitudo, adeoq; irresistibilis.

Resp. 1. Iterum desideramus probationem consequentia.  
 Non enim sequitur, cui potentia tribuitur ὑπερβαλλόν μέρει  
 C excellens,



excellens, vel supereminens magnitudo, illa est irresistibilis. 2. Cor. III, v. 10. etiam *δοξη* appellatur *ὑπεράλλοσι*; Ergo etiam gloria erit irresistibilis. Item Eph. III, 19. *γνώσις* vocatur *ὑπεράλλοσι*. Ergo scientia quoque erit irresistibilis.

§. 27. Dixeramus *secundo* in responsione nostra, etiamsi concedatur, quod comparatio virtutis, & potentiae divinae in resurrectione Christi sese exerentis, cum virtute, & vi nos regenerante institui possit; attamen *secundum quid* illam esse intelligendam, scilicet *ratione magnitudinis, & vehementiae gratiae*, non verò *ratione modi irresistibilitatis*; vehementiam ergo gratiae admiratione merito dignam esse ob indispositionem subiecti convertendi, & donorum recipiendorum, quo respectu gratia DEI indispositioni convertendorum opponatur: Quod autem admirabilitas illa consistat in irresistibilitate hominis, nunquam *Wendelinum* satis probare posse.

§. 28. Quid ad haec Adversarius? Nimirum valde exagitat hanc responsionem, & more Rhetorum varias instituit & quidem non sine stomacho interrogationes. *Quae haec quaeso, exclamat, vehementiae gratiae? An gratiae adeo resistibili tribui potest vehementia? An talis gratia potest dici vehemens gratia? Quos Deus vehementer convertit ex vehementi gratia, ex vehementia gratiae, illos convertit irresistibiliter, ut patet exemplo Apostoli, vehementer à Deo, adeoque conversi irresistibiliter.* Haec cum legissemus, mirati fuimus, Adversarium tantam vehementiam pro Gratiâ irresistibili, monstro illo errorum exarsisse, ut quid diceret, vix satis secum reputaverit. Nos enim dixeramus, *vehementiam Gratiae merito admiratione esse dignam ob indispositionem subiecti convertendi, quo respectu gratia Dei indispositioni Convertendorum opponatur.* Ille verò ad haec stomachatur, multas instituens querelas, nos vehementem istam gratiam facere resistibilem, quod sit absurdum. Sed nec de resistibilitate, nec irresistibilitate hinc fuimus locuti, quando excellentiam, & magnitudinem istius gratiae consideravimus.

§. 29. Audiamus verò quam firmum necesse est argumentum: *Quos Deus, inquit, convertit vehementer ex vehementi gratia, ex vehementia gratiae* (mirum, quod non etiam superlativum adjecerit, ex vehementissima gratia) *illos convertit irresistibiliter.* Atqui (ita vult subsumere) *ex nostrâ sententia Deus homines convertit vehementer, ex vehementi gratia, &c.* Ergo

Resp. I.



Resp. r. Major est falsissima. Hanc ille debebat probare; sed pro more argumenta, & Propositiones format absque ulla probatione, quæ eâdem facilitate rejiciuntur, quâ afferuntur.

2. Haut diximus in verbis paulò ante adductis, quod Deus vehementi gratia homines convertat; Sed hoc tantum, quod *vehementia gratia in conversione hominis merito admiratione digna sit, non ob gratiam irresistibilem, sed ob indispositionem subiecti convertendi.* Hoc iensu enim ipse Salvator admiratur hanc gratiam, & hanc hominum indispositionem, quando *Joh. III, 16.* in hac emphatica verba erumpit: *Sic Deus dilexit mundum!* id est, omnes homines in peccata prolapsos, qui tenebras magis amabant, quam lucem, *v. 19.* qui projecti erant super faciem terræ, & jacebant in sanguine suo, *Ezech. XVI, 5.* & propterea erant filii iræ, *Eph. 2. 3.* Hæc fuit certè summa indispositio hominum convertendorum. Nihilominus Deus tantâ gratiâ illos complexus fuit, id quod merito admiratione dignum est. Etiam si verò verba nostra ita haberent, quid inde? Quâ sequelâ enim ille probabit, vehementiam gratiæ esse irresistibilem? An non quædam gratia vehemens, imo vehementissima potest esse, & tamen resistibilis? Expendat Adversarius gratiam illam, quâ Salvator misertus fuit totius generis humani post lapsum! Consideret in specie eam, quâ erga Hierosolymitanos adhibuit! Quærimus ab illo, an non fuerit vehemens, vehementissima, cum ipse dicat vel potius. *Quoties congregare volui filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluisti,* *Matth. XXIII, 27.*; Nihilominus fuit resistibilis. Nam ita ex h. l. argumentamur:

*Quæcumq; gratia est quidem vehemens, & magna, nihilominus resistentiam admittit, illa non potest dici irresistibilis.*

*Atqui gratia Salvatoris erga Judæos fuit quidem vehemens, & magna, nihilominus resistentiam admisit. Ergo*

Major satis patet, quia verba illa emphatica: *quoties volui congregare filios tuos!* nihil aliud, quàm magnam, & vehementem gratiam notant. Quæ *Wendelinus* hîc excipit, enervavimus in *dicta Disp. de Grat. irref. §. 93.* seqq. An non præterea fuit vehemens gratia, quam Deus jam olim in veteri Testam. erga populum Judaicum adhibuit, quando ita exclamat: *Quid faciendum ultra vinea mee, & non feci in ea? Cur expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* *Esa. V. 4.*



Unde sic: *Si Deus omnem Conversionis gratiam apud Judæos frustra adhibuit, tunc sequitur gratiam illam fuisse quidem vehementem, hanc tamen irresistibilem.*

*Antecedens est verum. Ergo & Consequens.*

Exceptiones *Wendelini* diluimus cit. *Disp.* §. 103. seqq. Mittimus alia clarissima dicta, quæ à nobis ibidem fuere proposita, quæq; hoc delirium, *Gratiam irresistibilem*, penitus evertunt.

§. 30. *Dicis*: 1. Probavi Majorem Syllogismi §. 29. præpositi, exemplo *Apostoli*, vehementer à Deo, adeoq; irresistibiliter conversi, qui se includit hic numero credentium, de quibus loquitur.

*Resp.* 1. Exemplum allatū ad rem nihil facit. Nam *Conversio Pauli* fuit extraordinaria, & miraculosa. Hinc etiam absq; ministerio ordinario fuit peracta. In visione enim audivit vocem: *Saul, Saul, quid me persequeris!* Act. IX. 4. Quæ gratia in momento Paulū convertebat, & sic verè erat irresistibilis. Eo modo autē alii homines non convertuntur, aliàs innumera fierent miracula in *Conversione hominum*. Quando itaq; *Adversarius* ex *Conversione* extraordinaria argumentatur ad ordinariam, illamq; eodem modo fieri contendit, in eo turpiter hallucinatur. Aliquoties itaq; exemplum *Pauli* adducit, nobisq; opponit, sed prorsus impertinenter. Nam à *Conversione* extraordinaria ad ordinariam *N. V. C.* quod semel pro semper inculcamus, ne sapius eadem repetere cogamur. Confer interim etiā *Dn. D. Seldium* in *Top. Calvin.* Loc. III. §. 76. p. 419. seqq. Nec juvat ipsum, quod *Paulus* h. l. se includat numero credentium. Includit enim se, non quoad modum *Conversionis*, & *fidei acquisitionem*, sed quoad ejusdem *conservationem*, vel uti aliis placet, quoad *future resurrectionis immotam confirmationem*, prout ipse *Calvinus*, *Zanchius*, *Musculus*, *Crocus*, aliiq; explicant. *Apostoli* itaq; & *Propheta* sæpè conjungunt se per ἀνακοινωνίαν cum auditoribus suis, sed secundum quid, hanc vero simpliciter. Sic *Paulus* *Hebr. X. 26.* conjungit se cum improbis, quod etiam facit *Petrus* 1. *Epist. IV. 3;* Sed num inde concludere licet, *Apostolos* quoad vitia, & *impiam vitam* se cum illis conjunxisse?

§. 31. *Dicis* 2. *Dei ἐνέργεια* est planè irresistibilis, quippe secundum quam *Deus* subjicit sibi omnia, *Phil. III. 21.* ubi *Beza* τὴν ἐνέργειαν eddidit per vim effioacem, quam irresistibilem esse, patet etiam ex *2. Chron.*

XX.



XX, 6: *Jehova Deus Majorum nostrorum, nonne tu es Deus in caelis, & tu dominaris in omnia regna gentium, ita ut in manu tua sit vis, & potentia, ac nemo tibi possit obsistere!* Confer *Esa. XIV, 27. & Dan. IV, 35.* Ita Adversarius, p. 6.

§. 32. Resp. 1. Ad nauseam haectenus cum Theologis Orthodoxis inculcavimus, distingvendum esse in negotio Conversionis inter *Potentiam DEI absolutam, & ordinariam*, quia in Conversione hominis irrogeniti Deus non agat secundum illam, sed secundam hanc. Agnovit hoc ipse Adversarius in Responsione ad Argumentum 1. *Wendelini*; Nihilominus hic denuo veterem cantilenam intonat, & repetit, quasi omnis Dei operatio planè sit irresistibilis, & ab absolutâ ejus potentia proveniat. Falsissimum hoc esse, tum alibi, tum imprimis in *Disputatione nostra*, quam impugnat, ostendimus §. 59. n. 3. & §. 78. ad quæ Adversarius nihil respondit. Frustra ergo opponit dicta ex 2. *Chron. XX, 6. Esa. XIV, 27. Dan. IV, 27.* quippe quæ de potentia Dei absoluta agunt. 2. Si talis gratia, & operatio divina semper est invincibilis, & irresistibilis, frustra queritur Salvator *Matth. XXIII, 22*, Judæos noluisse gratiam oblatam recipere, sed semper restitisse: frustra quoque queritur Deus, *Esa. V, 4: Quid faciendum ultra vineæ meæ, & non feci!* Imò frustra queritur ibidem *cap. LXV, 2: Expandam manus meas toto die ad populum rebellem!* Ut alias ejusmodi querelas divinas sicco prætereamus pede.

§. 33. Dicis 2. Si operatio infinitæ DEI virtutis, sive potentia esset resistibilis, eiq; resisti posset, eaq; inhiberi, sequeretur, operationem DEI Physicam (e. g. regenerationem) jam actu physicè operantis, in ipso actu, in ipso actuali, & reali influxu, in ipso fieri posse abrumpi, interrumpi, interturbari, infringi, impediri ab agente valentiori, & potentiori, ac proinde operationem potentia divina non esse operationem infinitæ potentia invictæ, insuperabilis, sed finitæ, superabilis, vincibilis, esse operationem Dei non omnipotentis, sed impotentis, ab agente potentiore dependentis, adeoq; esse operationem non DEI. Ita ulterius Adversarius c. 1.

§. 34. Resp. 1. Si Deus in conversione hominis ageret secundum potentiam absolutam, tunc collectioni huic quædam inesset vis. Aliud verò haectenus demonstravimus. Absurdum ergo minimè est, homines potentia Dei ordinaria posse resistere.

2. Satisfecimus huic objectioni in dicta *Disput. nostra* §. 53.



n. 3. ubi monstravimus, quod intra ordinem manendo, Deo non placuerit omnem suam potentiam in hoc negotio adhibere, sed placuerit ipsi funibus nos trahere non vitulinis, sed humanis. §. 78. iterum ex B. D. *Dannenhanero* probavimus, quod Deus interdum se vinci permittat. Sicut enim per *Φιλαρρωπίαν* se vinci sustinuerit ab Israël, & Cananæa: Ita per *μακροθυμίαν* aliquando illum permittit victoriam malitiæ. Ad hæc Adversarius nihil.

3. Sicut ex eo, quod dicitur, *Christum Judæos congregare voluisse, ipsos verò noluisse*, *Matth. XXIII, 37. Phariseos Consilium Dei sprevisse*, *Luc. VII, 30. Judæos, ipsorumq; Majores Spiritui S. restitisse*, *Act. VII, 51. peccatorem mori, licet Deus nolit ipsius mortem*, *Ezech. XXXIII, 11.* non sequitur, majorem fuisse potentiam Judæorum potentiâ Dei, sed tantum eorum detestanda perversitas, & perversitas reprehenditur: Ita nec ex nostra sententia sequitur, creaturam esse potentiorē creatore, sed tantum hoc, creaturam posse resistere mediis divinitus ordinatis. Confer hîc D. *Seldium*, in *Top. Calvin.* p. 407. seqq.

§. 35. III. Primo *Wendelini* argumento hanc quoq; subjunximus responsionem: Dictum illud *Eph. I, 19* non loquitur de initio Conversionis, neq; de infidelium conversione, sed potius de perseverantia, & conservacione in bono. Ita enim habent verba Apostoli: *Non cesso gratias agere pro vobis, &c. ut Deus Domini nostri Jesu Christi &c. det vobis scire, quæ sit supereminens illa magnitudo potentie ipsius in nobis, qui credimus pro efficacia roboris virium ipsius*: Expresse ergo Apostolus hîc loquitur de illis, qui credunt, neq; ullam facit mentionem virtutis divinæ, quæ se in modo Conversionis exerat.

§. 36. Ad hæc Adversarius ita regerit: *Expresse utiq; Apostolus hîc loquitur de illis, qui credunt; Verum non nudè, sed simul ostendit, unde sit illud credere, à quanam causa efficiente physica in tō credere, sive in esse fidei realiter influente, fidemq; efficaciter producente. Nempe tō credere, sive fidem in nobis esse, oriri, existere, efficaciter produci, & realiter effici ab ipso Deo, supereminenti magnitudine potentie ipsius pro efficacia roboris virium ipsius, quam exeruerit in Christo, suscitato enim ex mortuis. Loquitur ergo de initio fidei, de principio rei essendi, causali, effectivo, adeoq; de initio Conversionis, sive regenerationis, de modo producenda fidei, irresistibili scilicet, quem modum ipsa phrasî innuit, ut n. 6. probavi.*

§. 37. Resp. 1. Hæc Adversarius: quàm benè jam videbimus. Nimirum concedit, Apostolum expresse hîc loqui de illis, qui credunt,



dunt, verum non nudè, sed simul undè sit illud credere. Sed de hâc re in textu nihil. Est glossa Adversarii, nullo fundamento superstructa. Quamquam enim verum sit, fidem produci ab ipso Deo, attamen id ex præsentis textu patere, falsum est. Agnoscunt hoc nobiscum præcipui Calvinianorum Doctores, utpote ipse Calvinus, Zanchius, Musculus, & Job. Crocius, quorum verba allegavimus supra §. 26. Miramur ergo, quare hos suos præceptores deserat! Cum his verò transigat prius, & probè dispiciat, num sine jactura veritatis in re tam manifesta, quàm etiam ex Veteribus Ambrosius, aliiqve approbant, ipsis contradicere possit!

2. Ipsam phrasin (*operationem potentie virtutis divinæ*) modum irresistibilem inferre, falsum est. Nam talem operationem potentie virtutis divinæ non unâ vice adhibuit Deus erga Judæos, utpote quando toto die manum suam erga illos extendit, Esa. LXV, 2, illosq; voluit congregare, Matth. XXIII, 27. nihilominus illa fuit resistibilis, uti ipse Deus locis allegatis fatetur.

§. 38. Accessum nunc facimus ad *secundum Wendelini argumentum*. Illud tale fuit: *Quia divina vis omnia nobis donat, quæ ad fidem, & pietatem pertinent, 2. Pet. I, 3. E. donat nobis non tantum, ut possimus, sed vel maxime, ut velimus converti, & actu convertamur, minimeq; convertentem gratiam cum intentione nos convertendi à Deo applicatam repudiemus.* Ex hoc discursu talem formavimus Syllogismum:

*Quæcunq; divina vis omnia nobis donat, quæ ad fidem, & pietatem pertinent, illa etiam vel maxime donabit Convertentem gratiam.*

*Atqui Christi divina vis omnia nobis donat, quæ ad fidem, & pietatem pertinent.*

*Ergo etiam vel maxime donabit Convertentem gratiam, & per consequens, addet etiam hoc, ne gratiam à Deo applicatam repudiemus.*

§. 39. Ad hoc argumentum variè respondimus, & quidem ita: Majoris prædicatum duplici modo potest intelligi, vel de Convertente gratia, quæ fit per verbum, & media ordinaria, vel de gratia convertente, quæ secundum Calvinianos fit peculiari divinâ operatione sine verbo, & quidem modo irresistibili. Priori modo acceptam Majorem concedimus, negamus posteriori.

§. 40. Adversarius ita excipit: *Gratiam Convertentem (sc. ordinariè, de qua nostra est quæstio) secundum Calvinianos, (quos odiosè*



odiosè vocant) fieri peculiari divinâ operatione sine verbo, simpliciter verum non est. Fit utiq; sine verbo, tanquam organo, sive instrumento physico, ut demonstravi, Volum. 2. Exercit. 8. num. 5. 6. 7. Fit autem Conversio per verbum, tanquam per organum, sive instrumentum morale, ut dictum, & modo expositum est num. 4.

§. 41. Resp. 1. Calvinianos (odiosè illos non ita appellamus, ut Adversarius clamitat, sed ad differentiam dogmatum, quæ ab authore proposita ipsi propugnant, & more primitivæ Ecclesiæ, uti §. 8. ex aliis monstravimus) docere, gratiam Convertentem fieri peculiari divinâ operatione sine verbo, est verissimum. Testimonia ex Synodo Dordrechtana in Nostr. *Disp. de Grat. Irresist.* cap. 2. §. 22. non pauca adduximus, ad quæ ille nihil respondit. Inprimis monstravimus, quod ipsi Theolog. *Hassii* expressè confessi fuerint, Deum in conversione hominis voluntatem immediatè flectere, & inclinare. Jam si immediatè, tunc utiq; sine verbo. Sed mox hæc de re plura. *Volumen 2. Exercit. suum*, quod allegat, nos nondum vidimus, neq; uti audivimus, hæcenus lucem aspexit publicam. Quo fine ergo nos ad illud remittit? Relatum nobis fuit, quod in illo etiam Dn. D. *Scherzeri*, Collegæ nostri conjunctissimi *disputationem de peccato in Spiritum S.* refutare velit. Maturet propositum! Tela enim Adversarii imperterrito animo ille expectat.

2. Verbum tanquam instrumentum morale agere in Conversione hominis, doctrina est, quæ S. Scripturæ contradicit, Pelagii dogma introducit, & Enthusiasticis erroribus latas aperit fenestras. Ostendimus hoc supra §. 20. & in *Disp. de Grat. irresist.* §. 21. seqq. ac paulo post plura de hæc re sumus dicturi.

§. 42. *Secunda nostra* responsio huic Wendelini argumento opposita, fuit talis: Dictum *Petri 2. Epist. I. 3.* quo Major probatur, non agit de Conversionis initio, aut infidelium, vel irrogenitorum Conversione, sed potius de perseverantia, & Conservatione in bono. Limitatio enim expressè in allegato dicto est addita. Verba ita habent: *Sicut omnia divina virtutis sue, quæ ad vitam, & pietatem (pertinent) donavit nobis per cognitionem ejus, qui vocavit nos ad gloriam & virtutem.* Nihil ergo hîc de irresistibili gratia, nihil de modo conversionis, sed talis gratia, & talia beneficia adducuntur, quæ ad conversos pertinent, & quidem ad eorū vitam & pietatem.



§. 43. Adversarius ita instat: In dicto Petri divina virtus nobis omnia donasse dicitur, quæ ad vitam, & pietatem pertinent: At verò non modo perseverantia, & Conservatio in bono, sed etiam Conversionis initium, aut infidelium, vel irrogenitorum Conversio ad fidem & pietatem pertinet, sc. tanquam causa efficiens physica inesse fidei, & pietatis realiter influens, illudq; efficaciter efficiens, & producens 1. Pet. I. 3. cap. 2. 9. 1. Joh. 5. 1. 2. Thess. 2. 3. 14. Col. 2. 12. Joh. 6. 44. 65. Quod autem gratia Conversionis sit irresistibilis, satis inde patet, quia conversio, sive regeneratio est divine virtutis, sive potentie, donatio fidei, & pietatis. At divina potentia est irresistibilis. E.

§. 44. Resp. 1. Aliud est, aliquid ex dicto Scripturæ probare directè, & ex intentione Spiritus Sancti; aliud per falsam applicationem, & glossam in textu non fundatam. Apostolum Petrum h. l. directè, & ex intentione Spiritus S. Conversionis initium, & modum ostendere, falsissimum est. Demonstratur hoc ex textu! De irresistibili enim gratia ne gry quidem hîc locus habet. Glossa verò quam ille hîc fingit, in textu non est fundata.

2. Concedimus, divinam virtutem etiam nobis donasse, quæ ad Conversionis initium pertinent; Sed quid inde pro gratia irresistibili? Quale argumentum inde nectis? Quo medio termino inde probas, Conversionem fieri per gratiam irresistibilem? Dicis: quia mentio fit divine virtutis, quæ in Conversione requiritur. Sic ergo ex hac tuâ hypothese tale emergit argumentum: Quæcunq; conversio fit per divinam virtutem, illa fit modo irresistibili. At irrogenitorum Conversio fit per divinam virtutem. Ergò fit modo irresistibili. Majorem probas, quia divina virtus, vel potentia est irresistibilis.

§. 45. Resp. 1. Elumbe argumentum, quod profecto apoplexia laborat. Major enim, ut & ejusdem probatio sunt falsissimæ. Nam divinam potentiam sc. absolutam, esse irresistibilem, ambabus largimur manibus, quod toties inculcavimus, minimè verò potentiam ordinatam, quam Deus in Conversionis negotio exerit per certa media. Hanc enim placuit ipsi omnè suam potentiam in hoc negotio adhibere, uti §. 34. n. 3. pluribus ostendimus.

2. Si divina potentia in negotio Conversionis est irresistibilis, quare Judæi, quos toties convertere Deus voluit, non fuere conversi?

D

§. 46.



§. 46. III. Ad *Wendelini* argumentum §. 38 propositum hunc quoque in modum respondimus: Posito, sed non concesso, hoc dictum agere de gratia convertente, plus tamen infertur, quam fuit in præmissis. Concedimus, Deum omnia donare, quæ ad fidem & pietatem, addimus etiam, quæ ad gratiam convertentem pertinent, exinde tamen inferri nequit, Deum modo irresistibili in Conversione agere, vel donare vim irresistibilem, quæ sine verbo, & per mirabilem operationem, omnem resistenti vim penitus deleat, & à convertendis auferat. Fundamentum sententiæ nostræ est hoc, quia in hominum vocatione distinguenda est gratia, & potentia Dei absoluta, à potentia, & gratia Dei ordinata, quæ posterior in conversione, secundum modum ordinarium, locum habet. Dei ergo vocatio, & conversionis gratia non contingit hominibus sine ullo respectu, prout Calviniani somniant, sive audiant Dei verbum, sive non, sed sub conditione obedientiæ, si verbum Dei audiverint, neque Spiritus S. operationi obicem posuerint, *Rom. X, 16. Luc. VII, 30. Act. VII, 51. c. XIII, 46.* Rectè ergo hæc de re scribit *D. Dannenhauer* *Hodosoph. Phenom. 9. p. 617*: *Intra ordinem manendo, inquit, non placuit Deo, omnem suam potentiam in hoc negotio adhibere, placuit funibus nos trahere non vitulinis, sed humanis. Arma, obices, ac remora in homine sunt verbi neglectus, repulsa, præjudicium, Zelus ignorans, cura seculi.*

§. 47. Adversarius talia hinc reponit: Calvinianos (quos odiosè vocant) somnare, homines à Deo converti, sive verbum Dei audiant, sive non audiant, Antagonistæ somnium est. Ecquidam sunt illi, qui ita somniant? Eos nominasse, eorumque scripta, atque paginas, ubi sic somniant, allegasse oportuit, ut ipsum ad hoc dicendum ipsa veritas, non autem odium in Reformatos impulisse videatur. Ego nunquam hoc legi apud ullum Reformatum, nempe homines adultos à DEO ordinariè converti, sive audiant, sive non audiant verbum Dei. Hoc legi, Dei voluntatem convertendi homines, quos vult convertere, non esse suspensam à conditione aliquâ, hominis irrogeniti viribus naturalibus implendâ prius, quam à DEO convertatur, & regeneretur; minimè omnium à conditione impossibili, hominis irrogeniti vires exuperante, &c. De hæc re plunibus ibidem rhetoricatur, & eandem rem bis terve, aliis tantum verbis repetit.

§. 48. Resp. 1. Scripseramus, plus inferri, quam fuerit in præmissis. Nos enim concedere, Deum omnia donare, quæ ad fidem, & pietatem



pietatem, ut & gratiam convertentem pertineant, exinde tamen inferri non posse, Deum modo irresistibili in conversione agere, vel donare vim irresistibilem, quæ sine verbo, & per mirabilem operationem omnem resistendi vim penitus delet. Ad hæc ne verbulum reposuit Adversarius, sed nobis concessit. Sic ergo habemus, quod volumus.

2. Valde indignatur, quod asseruimus, Calvinianos docere, vel potius somniare, conversionis gratiam contingere hominibus sive audiant verbum Dei, sive non. Hic retorquet, somnium hoc esse nostrum. Non sine vehementi irâ postmodum exclamat: *Ecquidam sunt illi, qui ita somniant! Eos nominasse, eorumq; scripta, atq; paginas, ubi sic somniant, allegasse oportuit, ut ipsum ad hoc dicendum ipsa veritas, non autem odium in Reformatos impulisse videatur. Ego nunquam hoc legi apud ullum Reformatum; &c.* Hæc ubi legimus, valde mirati sumus, Adversarium tantâ irâ exacerbatum in hæc erupisse verba, illudq; negare velle, quod alii Reformati, & imprimis *Hassiaci Theologi in Synodo Dordrechtana* publicè professi sunt. Haut itaq; somnium, sed ipsam veritatem retulimus. Monstrabimus hoc Adversario, qui fortassis ex somno nondum penitus fuit expergefactus, quando hæc in chartam conjecit. Si rectè legisset Disputationem nostram, quam ex merito odio impugnat, observasset, nos nihil proposuisse, quod veritati sit contrarium. Nam *cap. 2. §. 27.* aliquot testimonia ex scriptis Calvinianorum adduximus, qui si non iisdem verbis, quoad sensum tamen hoc asserunt. Lubet jam imprimis *Theologos Hassos* ipsi nominare, utpote in quorum Cathedra docet, & quorum publicæ Confessioni, quam in Synodo Dordrechtana nomine omnium Ecclesiarum Hassiacarum, quæ Reformata Religioni addictæ sunt, ille salvâ Religionis formulâ contradicere non potest. Expressè autem illi scribunt in *dictâ Synod. in Jud. Exter. Theol. pag. 190.* Deum potentissimâ, efficacissimâq; suâ operatione voluntatem, ut re ipsa obtemperet, IMMEDIATE flectere, & inclinare, efficereq; istâ suâ gratiâ præveniente, & (immediate sc.) operante ex nolente volentem, ita quidem, ut voluntas, licet ex se, suâq; natura non nisi ad rejiciendam Dei gratiam apta nata sit, hæc tamen primâ Dei gratia efficaci immutata, & ex nolente volens facta, liberè & spontaneo motu se ad Deum convertat, & in Christum credat. Quæ verba haut de infantibus possunt intelligi, (quod fortassis objici potest, cum tamen nec illi sine



verbo regenerentur, ) sed de adultis, utpote cum infantes ex Calvinianorū doctrina nullā habeant fidem nec ante verbū intellectū credant, vide *Bezam Part. 2. qv. est. & Resp. qv. 124. p. 94. 95. Chamier. Tom. III. l. 2. c. 10. n. 18. Vbi ille ita: Infantes nos negamus credere, & tamen Infantibus condonari peccata. Bucan. Loc. 29. q. 20. p. 282: Infantes actu fidem non habent, quia est ex auditu, illis autem non predicatur Evangelium. Confer etiam Ursin. in Catech. qv. 116. p. 828. Polan. tom. 2. disp. 631. Ravensperger. in Florileg. p. 169. qv. expressè quoq; ibidem scribit, fundamento carere distinctionem fidei in potentialem, & actualem, ut & fidei actualis in fidem actus primi, & secundi. Explodit sic sociorū distinctiones, quas hīc formant. Jam si Deus in conversione hominis irrogeniti, ipsius voluntatem immediatē inclināt, & flectit, ut credat, tunc utiq; hoc fit sine verbo. Sic verò verbi in hoc negotio nulla erit utilitas, & efficacia! Quorsum enim opus est, ut talis homo verbum Dei audiat, si immediatē Deus ipsius voluntatem inclināt, & convertit? Sive ergo audiat, sive non audiat verbum, exinde minimē convertitur, cum peculiaris operatio Spiritus S. ab ipsā verbi operatione distincta hoc efficiat, uti expressè scribunt Ultrajectini in *Jud. Prov. p. 255. Stante ergo hāc hypothese, Deum IMMEDIATE in Conversione hominis vi peculiari, ab ipsa verbi operatione distinctā, voluntatem hominis irrogeniti flectere, & convertere, tunc firmissimē concludimus, hominem converti, sive verbum Dei audiat, sive non.**

§. 49. Sic ergo Adversarius videt, nos per hanc nostram assertionem haut somnium, prout scepticē scribit, sed ipsam veritatem recitasse, multò minus ipsi, vel Reformatis Ecclesiis injuriam intulisse.

§. 50. Hoc testimonio posset esse contentus. Quia verò tantā vehementiā à nobis postulat, ut authores, ipsorumq; libros, & paginas ipsi nominemus, qv. ita doceant, cum ille apud nullum hoc legerit, agite liberales erimus, & plures ipsi ostendamus, qv. hanc doctrinam publicè professi sunt. Fortassis singularem gratiam apud ipsum inibimus. *Zwinglius* Adversario nostro non est ignotus, qv. juxta Calvinum præcipuus suæ Religionis propagator, & quem omnes magnificiunt. Hic in *Exposit. fidei ad Regem Galliz, aureo sc. libro* (arbitrante *Paro* in *Iren. c. 28. p. 245. part. 2. Opp. polem. f. 559. ita scribit: Hic tibi sperandum*



est, o piissime Rex, si modo instar Davidis, Ezechie & Josie rerum summam à DEO concreditam moderatus fueris, visurum esse, primum Numen ipsum in sua substantia, in sua specie, cumq; universis dotibus, opibusq; illius, fruturumq; his omnibus, non parce, sed ad satietatem, non ad fastidium, quod ferme comitatur saturitatem, sed ad jucundam impletionem, &c. Deinde sperandum est Tibi, visurum esse Sanctorum, prudentium, fidelium, constantium, fortium, virtuosorum omnium, quicumq; à condito mundo fuerint, sodalitatem, cœtum & contubernium. Hic duos Adam, redemptum, ac Redemptorem; Hic Abelem, Enochum, Noam, Abrahamum, Isaacum, Jacobum, ac Deiparam virginem, de qua ille precinuit, Davidem, Ezechiam, Josiam, Baptistam, Petrum, Paulum; Hic Herculem, Theseum, Socratem, Antigonum, Numam, Camillum, Catonem, Scipiones, hic antecessores tuos, & quotquot in fide hinc migrarunt, majores tuos videbis: Et summatim non fuit vir bonus, non erit mens sancta, non fidelis anima, ab ipso mundi exordio, usq; ad ejus consummationem, quem non sis isthic cum Deo visurus.

§. 51. Zwinglii sententiam defendit etiam Gualterus, ipfius gener, in Apologia edita Anno 1545. f. 52; Bullingerus quoq; librum illum Zwinglii præfatione ornavit, in qua illum vocat Cygneam Cantionem, imò Ludov. Crocius in Assert. Aug. Conf. p. 93. huic adstipulatur sententiæ. Scripserat D. Menzerus in Exeg. Ax Conf. sine verbo, & Sacramentis fidem ordinariè non gigni, & conservari. Ad hæc Crocius c. 1: Cur autem dicis ordinariè, si non agnoscis, Deum etiam sine verbo & Sacramentis extraordinariè, in quibuscunq; vult, fidem provocare, & conservare posse? Si agnoscis, quid Zwinglium hæc de re perstringis? Wendelinus quoq; , cujus patrocinium suscepit Adversarius, Zwinglium defendit, & conceptis verbis scribit Exerc. XXXIIX. p. 577. hanc Zwinglii sententiam nullius absurditatis, vel impietatis convinci posse.

§. 52. Ex hisce nunc ita argumentamur: Si Hercules, Theseus, Socrates, Aristides, Antigonus, Numa, aliiq; probiores ethnici fuere salvati, & æternâ beatitudine donati, tunc utiq; conversi, & salvati fuere absq; auditu verbi, utpote, quod non habuere. Atqui Antecedens ex hypothesi Zwinglii, & aliorum est verum; Ergo & consequens. Perstat ergo sententia nostra firma, homines ex mente Calvinianorum converti, & salvari, sive verbum Dei audiant, sive non; neq; juxta Wendelinum, ullius absurditatis, vel impietatis hæc sententia convinci potest.



§. 53. Sed excipit hęc Pareus in Iren. c. 28. p. 245, & dicit, Zwinglio fieri injuriam, cum ille Heroibus illis conspectum Dei tribuat sub conditione, siquidem in fide hinc migrarint. Idem pro Zwinglio urget D. Zwinger, in defens. Calv. p. 152. & Vedel. in Rational. l. 1. c. 9. p. 106.

Resp. Falsum est, Zwinglii phrasin esse hypotheticam, cum sit purè categorica. Expresse enim dicit: *Hic Herculem, Theseum, & Socratem, Antigonum, Numam, Camillum, &c. Hic antecessores tuos & quotquot in fide hinc migrarunt, Majores tuos videbis.* Si ergo Hercules, Theseus, Socrates, Aristides &c. fidem habuerunt, & per eam fuere salvati, tunc utiq; absque verbo fides ipsis fuit donata, & per consequens sine verbo fuerunt conversi, & salvati. Scitè igitur de hęc sententia B. D. Dannenhauer Part. 1. Hodomer. Spir. Calv. Phant. 2. p. 674: *Habes hęc sinum non Ecclesie solum, sed & Cœli laxatum Socrati, habes fidem ex lumine rationis, aliunde enim haberi non potuit inter istas talpas, lumine revelationis distinctas.* Sic ergo adhuc perstat nostra sententia, homines ex mente Calvinianorum à DEO converti, & salvari, fidemq; ipsis donari, etiamsi verbum non audiant. Quare ergo tantopere tumultuatur Adversarius, & publicè criminatur, haut veritatem, sed odium in Reformatos nos impulisse, ut hęc de ipsis affirmarem? Nominavimus ergo non unum, sed plures authores Calvinianos, citavimus libros, & paginas, uti postulavit. Deliberet nunc secum, num injuriâ ipsos affecerimus per hanc nostram sententiam, vel annon potius ipse magnâ injuriâ nos affecerit? Si Authores dicti ipsi non sufficiunt, poterit cum illis etiam conjungere *Mosen Amyraldum*, Professore quondam in Academia Salmuriensi. Hic Anno 1634. librum quendam in Gallicâ lingvâ conscriptum in publicum emisit, cujus hic est titulus: *Brieff Traite de la predestination; & de ses principales dependances.* In hoc cap. 7. p. 81. seqq. in hunc sensum loquitur: *Nam Deus invitat homines ad pœnitentiam gratis, & cum intentione. Si pareant invitationi ad convertendum sese, non excludendi eos à gratia. Deus est valde bonus, numquid is fraude utetur in verbis tam seriis ad seducendos homines in vanam confidentiam? Quamobrem nihil dubitandum est, quin in quacunq; natione mundi, quacunq; tandem illa sit, cui nomen Christi non est cognitum, Deus nihilominus occurrat unicuiq;, qui commovetur testimonio de misericordia Dei, quod. sc. Deus presens sit singulis hominibus*  
per



per administrationem universi, & qui adeo se convertit ad illum ad obtinendam remissionem peccatorum, per ipsius gratiam ( abstrahendo, cujus facultatis, aut potentiae sit, taliter se convertere ) quin hujus conversionis fructum percepturus sit. Certissimum enim est, quod qui distinctam notitiam de nomine Christi non habent, nec quicquam norunt de modo redemptionis nostrae, ideo non debeant desperare, quin participaturi sint de remissione peccatorum, sanctificatione Spiritus, & gloria immortalitatis, &c. Hic iterum Adversarius clarissimum habet testimonium à Doctore suae Religionis, qui expressis verbis asserit, homines, & imprimis ethnicos converti, etiamsi verbum Dei non audiant, nec quicquam norint de modo redemptionis nostrae. Possemus plures adducere, si opus esset; sed speramus, illum haut invitè fassurum, nos petito ipsius satisfecisse. Desinat ergo criminari. hæc fuisse somnia, quæ de hæc materia in *Disputatione nostra* fuere proposita.

§. 54. Quod hæctenus de verbo Dei ex mente Calvinianorū proposuimus, illud ipsum quoque docent de Sacramentis, & imprimis de Sacramento baptismi. Huic enim omnem vim & efficaciam quoque; derogant in regeneratione nostra. Hoc præter alios manifestò facit *Wendel. Exercit. LXXXIV. p. 1418.*

§. 55. Etiamsi verò Adversarius, & alii dicant, sese verbum in regeneratione, & conversione hominis ab ejus operatione non excludere, meræ tamen sunt verborum præstigiæ. Nam: 1. quicumque omnem operationem in regenerationis, & Conversionis negotio assignant peculiari operationi Spiritus S. ab ipsa operatione verbi distinctæ. 2. Verbum habent tantum pro causa morali, quæ per se non influit in effectum, nec per propriam suam entitatem agit. 3. Verbum agnoscunt pro nudo signo, quod per se nihil operatur; 4. Deum immediatè in Conversione hominis irrogeniti agere; & 5. etiam saniores ethnicos sine auditu verbi convertos, & salvatos fuisse docent, illi salvis his hypothefibus nullatenus possunt asserere, verbum ad Conversionem hominis producendam per se esse necessarium. Atqui, Calviniani hoc faciunt. Ergo.

Majoris Connexio est firmissima, nec ullo modo negari potest. Minoris membra hæctenus satis fuere probata. Quoad primum & secundum vide §. 19. & 20., quoad 3. Confer ipsum.

Ad-



*Adversarium in Disputatione nobis opposita, p. 2. Quod 4. & 5. attinet, de illis legimus paragraphis proximè præcedentibus. Doctrina autem hæc tam perniciofa est, ut fundamentum fidei organicum planè destruat, prout multis probavimus, in Vindic. nostris Hutterianis, Disp. I. p. 9. seqq.*

§. 56. Postquam Adversarius supra §. 47. negaverat, talem doctrinam, quam hæcenus ad oculum ipsi demonstravimus, in Reformatorum libris se non legisse, subjicit hæc: *Hoc legi, Dei voluntatem convertendi homines, quos vult convertere, non esse suspensam à conditione aliqua hominis irrogeniti viribus naturalibus implenda prius, quàm à Deo convertatur.*

§. 67. Resp. 1. Denuo nobis imputat, quasi doceamus Dei voluntatem in Conversione hominis irrogeniti esse suspensam à conditione aliqua, quæ ejusmodi hominis viribus naturalibus impleri prius debeat, quàm à Deo convertatur. Sed putida calumnia est, quam absterimus supra §. 12. seqq. Talem enim doctrinam, tanquam Pelagianam nos extremè detestamur,

§. 58. Quarta nostra responsio ad argumentum *Wendelini* §. 38. propositum, fuit talis: *Quod igitur homo, etiam si Deus omnia ad conversionem media donet, & offerat, nihilominus ista omnia negligere, repellere, & averfari possit, imo actu ipso repellat, & averfetur, Scriptura & experientia satis testantur. In hanc rem notanter scribit D. Hülfemannus de Auxil. Grat. p. 318, Quod positâ motione Dei intrinsecâ homo possit obedientiam negare, & suspendere exercitium actus tum intrinseci, tum extrinseci, probatur ex omnibus illis dictis, quæ supponunt, sufficientes vires à Deo acceptas, sed exercitium ex voluntaria malitia suspensum, vel planè denegatum fuisse, ut Ezech. 12, 2: Fili hominis in medio domus exasperantis habitas, qui oculos habent ad videndum, & non vident, & aures ad audiendum, & non audiunt, quia domus exasperans est. Phrasin hanc, habere oculos ad videndum, & aures ad audiendum, significare vires intelligendi, & assentiendi, exasperare autem in Hiphil, & 172 amaricatio, significare adscititiam, & proæreticam, non connaturalem, seu congenitam malitiam, patet ex parallelis, Jer. V, 21. Deut. XXIX, 4. Nondum dedit vobis Dominus oculos ad videndum, mentem ad intelligendum &c. Matth. XIII, 9. Apoc. XIII, 9.*

§. 59. Adversarius ita replicat: *phrasin hanc (habere oculos*

los



los ad videndum, & aures ad audiendum Ezech. XII, 2.) significare vires intelligendi verbum Dei, eiq; assentiendi negatur. Antagonista enim per vires intelligendi & assentiendi intelligit vires intelligendi, & assentiendi sejunctas ab actu intelligendi, & assentiendi. At per oculos ad videndum, per aures ad audiendum (si voces improprie accipiantur) per cor ad intelligendum, ejusmodi vires, quæ sejunctæ sunt ab actu intelligendi, in S. literis non intelliguntur; sed vires divinitus infusæ, & superadditæ, sc. viribus, seu potentis naturalibus, intellectui, & voluntati, nempe habitus intelligendi, assentiendi, credendi, ac proinde vires intelligendi, &c. conjunctæ cum actu intelligendi, assentiendi, credendi. Habitus enim conjunctus est cum actibus suis; Habitus reddit faciles & hilares ad operandum. Posito habitu, ponitur actio, ut habent canones Philosophorum. Deinde Antagonista per oculos ad videndum, & aures ad audiendum, intelligit cor, sive mentem ad intelligendum, & assentiendum. At verò quibus Deus dicit esse oculos ad videndum, aures ad audiendum, Ezech. XII, 2. illis negat esse cor sc. ad intelligendum, ut patet ex loco parallelo hic allegato, Jerem. V, 21. Audite jam hoc popule, stolidæ, & excors (אין לב, & cui non est cor) quibus oculi sunt, & non vident, quibus aures, & non audiunt. Ad hæc: Cor ad intelligendum verbum Dei, & ad assentiendum ei, non est cor excoecatum, sed à Spiritu S. illuminatum. At quorum cor ita se habet, illi vident, & intelligunt. Judæi verò de quibus est sermo, Ezech. XII, 2. illi non viderunt. Atque ita ex dicto Ezech. probari non potest, quod Antagonista inde probare vult.

§. 60. Resp. Admittit, hominem, etiamsi omnia conversionis media Deus ipsi offerat, posse repugnare. Hoc enim nos affirmaveramus statim ab initio, & præter exempla, quæ in Scriptura occurrunt, etiam ad experientiam cotidianam provocavimus, quæ profecto hanc rem luculenter confirmat. Ad hæc ille nihil, sed tacendo approbat. Tantummodo excipit ad allegatum dictum Ezech. XII, 2. & dicit, phrasin hanc, habere oculos ad videndum, & aures ad audiendum, non significare vires intelligendi verbum, eiq; assentiendi. Attendat verò benivolus Lector, quomodo hoc probet. Dicit

1. Nos per vires intelligendi & assentiendi intelligere vires sejunctas ab actu intelligendi, & assentiendi, id quod S. Scriptura contradicat, quæ hic insinuet vires divinitus infusæ, & superadditæ, sc. viribus, seu potentis naturalibus, intellectui & voluntati, ac proinde vires intelligendi

E

con-



conjunctas esse cum actu intelligendi, assentiendi, & credendi, cum habitus conjunctus sit cum actibus suis; Nam posito habitu, poni actionem.

Resp. 1. Ambigüe loquitur. Breviter: Absurdum minimè est, quando docemus, vires intelligendi & assentiendi in negotio conversibus à viribus naturalibus hominum esse discernendas. Illos enim ejusmodi vires per auditum verbi accipere, ut possint non morosè resistere, probavimus supra §. 15, seqq. Nihilominus actus hic sæpissime non sequitur, id quod ipsemet Salvator testatur Joh. XV. 22. Extra hunc actum non separamus has vires.

2. Absurda est sententia, quando scribit, habitum conjunctum esse cum actibus suis, & quidem *semper*, uti innuit, quando subjungit, *posito habitu, ponitur actus*. Nam si hæc sententia est vera, sequitur, quod artifex, qui ad horam ab opere cessat, hoc ipso potentiam, vel etiam habitum artificiosè operandi amittat, vel quod necessum sit, ut indefinenter in operando sit occupatus: Item sequitur, quod Adversarius, qui habitu disputandi instructus est, indefinenter disputet; item si potentia non est sine actu, sequitur, quod nec ignis sit calidus, nec aqua frigida, nec mel dulce, nisi actu sentiantur, quæ omnia sunt absque actu. *A potentia itaq; ad actum, sive à posse ad esse N. V. C.* Vide, si lubet, philosophi acutissimi Dn. *Stablii* Regulas philosophus *Tit. 2. Reg. 1.* Canonem itaq; philosophicum, quem nobis objicit, ita limitamus: *Posito habitu, ponitur actus, sed non semper in esse.*

3. Aliud est habitus, aliud potentia vel dispositio. Minimè docemus, quod illis quibus per auditum verbi ejusmodi gratia vel potentia confertur, ut possint non morosè resistere, statim habitus non resistendi simul conferatur; sed potentiam dicimus ipsis talem conferri, ut non morosè resistere, sed assentiri verbo possint. Adversarius ergo habitum & potentiam confundit. Quoad hanc doctrinam assentitur nobis *Ursinus*, quem *Beza* in epicedio, quod in ipsius obitum fecit, appellat *Theologum summum*, & *judicio admirabili*. Ita autem ille in *Explicat. Catech. p. 73*: *Potest voluntas mota à Deo non tantum repugnare, sed etiam assentiri, & obsequi Deo moventi.*

4. Vires illas, vel potentiam illam intelligendi, & assentiendi superaddi viribus, seu potentiis naturalibus, intellectui sc. & voluntati, ambabus manibus largimur; sed hoc fit per verbum, tanquam medium ordinarium, non verò extra verbum per gratiam irresistibilem, prout Calviniani volunt. §. 61.



§. 61. 5. Phrasin hanc, *habere oculos ad videndum, & aures ad audiendum* non significare vires intelligendi verbum, eiq; assentiendi, inde probat, quia quibus Deus dicit, esse oculos ad videndum, aures ad audiendum, *Ezech. 12. 2. illis neget esse cor sc. ad intelligendum, & hoc ipsum patere ex loco parallelo à nobis allegato Jerem. V, 21. Audite hoc, popule stolide, & excors (וְעַיִן לֹא בָרָא וְאָזְנוֹ לֹא שָׁמָעַתְּ) quibus oculi sunt, & non vident, quibus aures, & non audiunt.*

§. 62. Resp. Mera sunt argutia, & sophisticationes, quas ille hic affert. Nam Deus quidem negat, Judæos habere cor ad intelligendum, sed non eo sensu, quod prorsus non habeant, sed quia ex pervicaci, & asciticia malitia habere nolint. Quid enim aliud quaeso, Deus verbis illis intendit, sc. *quod oculos habeant, nec videant, & aures, nec audiant?* Verba itaq; hæc posteriora declarant priora. Veram esse hanc explicationem agnoscit ipse Calvinus in *Comment. ad locum parallel. Ezech. 12. 2. p. 195.* Hic ostendit Deus, inquit, non posse Israëlitas obtendere errorem, quasi inconsideratè peccassent, sed assignat eorum pervicacia, quod neq; audiant neq; videant. Paulò post: *Cum ergo increduli prætexent, se non fuisse illuminatos à Domino, concedi quidem illis poterit, fuisse cæcos & surdos, sepe tamen ultra transcendere oportet, quia fons cæcitatatis, & surditatis est eorum pervicacia. Ita rectè Calvinus.*

§. 63. Sed denuò obstrepit, & ita colligit: *Cor ad intelligendum verbum Dei, & assentiendum ei, non est cor excæcatum, sed à Spiritu S. illuminatum. At quorum cor ita se habet, illi vident & intelligunt; Judæi verò de quibus est sermo Ezech. 12. 2. illi non viderunt. Atq; ita ex hoc dicto probari nihil potest.*

§. 64. Resp. Propositionem, sub quâ ille subsumit, ita castigamus: *Cor ad intelligendum verbum Dei, & ad assentiendum ei, sc. quatenus, & quamdiu ita se habet, nec ex malitia amplius resistit, & se excæcat, non est cor excæcatum, sed à Spiritu S. illuminatum. Jam si inferis, Judæorum cor tale fuit, falsum est. Etiam si enim habuerunt cor ad intelligendum, & aures ad audiendum, & sic à Spiritu S. fuerunt illuminati, attamen per asciticiam malitiam illud cor non semper retinuerunt, sed istud ipsum iterum excæcarunt. Judæi itaq; quorum Ezech. 12. 2. mentio fit, non hoc sensu excæcati dici possunt, quod non videre potuerint, sed quod ex asciticia malitia videre noluerint. Res hæc*



est manifesta, adeo, ut miremur, Adversariū de industria ejusmodi  
tricas necere! Non dubitamus, quin etiam habuerit cor, ut hæc  
melius intelligere potuerit, si voluisset, sed noluit. Hinc veritati,  
imò ipsi *Calvino* suo ex proposito contradicit. Quod §. 19. affert,  
refutavimus supra §. 30.

§. 65. Succedit tandem tertium *Wendelini* argumentum,  
cui agonizanti ille succurrere tentat. Fuit istud tale: *Quia Deus*  
*in nobis efficit, non tantum, ut possimus velle, & efficere, sed etiam, ut actu*  
*velimus, Phil. II, 3. Ergo conversionis gratia non est suspensa ab arbitrio*  
*humano, ita ut homo per eam tantum possit converti, sed per gratiam ita*  
*afficitur arbitrium, ut velit & efficiat.* Syllogismum exinde talem for-  
mavimus:

*Quicumq; in nobis non tantum velle & efficere, sed etiam ut actu veli-*  
*mus, & efficiamus, operatur, ille Conversionis gratiam non suspendit ab ar-*  
*bitrio humano.*

*Deus in nobis non tantum velle, & efficere, sed etiam ut actu velimus,*  
*& efficiamus, operatur Phil. II, 13. Ergo.*

§. 66. Ad hoc ita respondimus: 1. Totum admittimus  
argumentum. Concedimus enim, Conversionem à libero ar-  
bitrio non esse suspendendam. Neque nos hoc facimus. Doce-  
mus enim, in hominis potestate, vel arbitrio non esse converti.  
Negare quidem potest homo non re-genitus in conversione as-  
sensum, sed non præbere. Potest repugnare, sed assentiri non  
potest. Multis id explicavimus §. 49. 50. & seqq.

§. 67. Contra hanc nostram responsionem Adversarius  
ita insurgit: *Negare posse hominem non re-genitum in Conversione as-*  
*sensum, & Deo assensum (illum licet intendenti, efficere volenti) non præ-*  
*bere, & repugnare negatur.* Nam *Consilium meum, inquit Deus, stabit,*  
*& omnem voluntatem meam faciam, Esa XLVI, 10. Omnia, quæcunq;e*  
*voluit, facit. Psal. CXV, 3. Quicquid placet sibi, Jehova facit, in cælis ac*  
*in terras per maria, & omnes abyssos, Psalm. 135, v. 6. Est sermo de vo-*  
*luntate eudoxias, beneplaciti, effectiois, efficiente. Et sic omnia, quæcun-*  
*que voluit (sc. facere) fecit.*

§. 68. Resp. Confundit Adversarius iterum voluntatem  
DEI absolutam cum voluntate ejus ordinata. De voluntate  
absoluta, verum est, quod dicit ille: *Quæcunq; Deus voluit facere,*  
*fecit, sed non de ordinatâ, & conditionatâ, quâ sc. aliquid vult*  
cum



cum conditione, & per certa media. Talem voluntatem Deus adhibet in Conversione hominis, quâ non vult, ut ullus pereat, sed ut omnes ad resipiscentiam tendant 2. Pet. III, 9. Talem voluntatem ipse Adversarius agnoscit, ut supra §. II. vidimus. Hâc itaque voluntate Deus homini Salutem vult conferre non absolutè, sed per media ordinaria, per verbum sc. & Sacramenta. Hâc ergo voluntas conditionata appellatur, quâ fidem, & Salutem vult omnibus sub conditione adhibendorum mediorum. Quemadmodum autem ordo mediorum gratiæ ab hominibus contemni; ita etiam per homines impediri potest, quo minus fides, & Salus, quam sub ordine mediorum omnibus vult, in omnibus efficiatur.

§. 69. Talia hîc regerit: *Non licet hîc distingvere voluntatem Dei, quod alia sit absoluta, & alia conditionata, & dicere, quicquid Deus vult voluntate absolutâ, illud eum facere, non autem omnia, quæ velit voluntate conditionali, eum facere, sed positâ Conditione, ea demùm facere, non positâ, non facere. Velle autem Deum homines Convertere, regenerare, fide salvificâ donare, voluntate Conditionali sub Conditione non resistentiæ malignos, ipsius irrogeniti viribus naturalibus ante Conversionem præstande, quâ præstitâ converti irrogenitum, at non præstitâ, non converti. Sed distinctio illa nulla est. Voluntas enim conditionalis in Deo nulla datur, quippe quæ cum divina ejus sapientia è diametro pugnat, itemq; cum ejus independentiâ, simplicitate, immutabilitate, omnipotentia, omniscientia, beatitudine, & perfectione.*

§. 70. Resp. I. Si non licet hîc distingvere inter voluntatem absolutam, & conditionatam, quare Scriptura ita distingvit? Nam ita ipse Salvator Matth. XXIII, 37: *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Hîc clarè proponitur Dei voluntas Conditionalis. Subintelligitur enim Condicio hæc: Christum Hierosolymitanos congregare voluisse, si sc. obedire voluissent. Jam quia noluerunt, hinc nec ejus voluntas fuit impleta sine ulla ejus mutatione. Sic 2. Petr. III, 9: *Patiens est Dominus erga nos, nolens ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam venire.* Hîc iterum occurrit voluntas Dei Conditionata de omnium hominum Salute, si scil. ad pœnitentiam venire velint. Manifestò quoq; hæc distinctio deducitur ex Jerem. XIIX, 7. 8. 9. 10: *Repente loquor contra gentem, & adversus regnum, ut radicem & destruam, ac disperdam illud: Si pœnitentiam egerit gens illa*



illa à malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam & ego penitentiam super malo, quod cogitavi &c. Clarissimè ergo ex his patet, Deum quædam velle sub conditione.

2. Si Deus omnia, quæ vult, facit, nec licet distingvere inter voluntatem absolutam, & Conditionatam, sequitur, quia Dei voluntas est, ut omnes homines peccata fugiant, & sanctè vivant, uti præter decem Præcepta (quæ omnes homines obligant) demonstrant dicta *Rom. XII, 1. 2.* & *1. Thess. IV, 3. 4.* quod etiam omnes hoc faciant, & piè sanctèq; vivant, quod tamen falsum: sequitur, quia Deus vult, ut omnes servi suum officiū faciant, *Eph. VI, 5. 6. 7.* quod omnes hoc ipsum præstent, quod iterum falsum: sequitur, quia Deus vult, ut omnes subditi Magistratui suo in omnibus (*licitis*) obediant, *1. Petr. II, 13.* seqq. quod omnes quoque actu sint morigeri; sequitur, quia Deus vult, ut omnes homines salventur, & ad agnitionem veritatis perveniant, *1. Timoth. II, 4.* quod omnes quoque actu salventur, & ad agnitionem veritatis perveniant, quod iterum falsum. Innumera ejusmodi absurda ex negatâ hâc distinctione possemus monstrare.

3. Hæc ergo procul dubio multi ex Calvinianis rectius ponderarunt. Eâ de causa hanc distinctionem admittunt. Sic Pareus l. II. de Grat. & liber. arbitr. cap. III; *Tertia vera est, inquit, per distinctionem aliam voluntatis Dei, quod velit omnes salvos fieri voluntate antecedente, hoc est cum conditione, si omnes credant in filium DEI: non autem velit omnes salvos fieri voluntate beneplaciti, secus omnes servarentur, aut falsum esset illud Psalmi CXV, 3. omnia quæ voluit, fecit.* Sic etiam Martinius in Act. Synod. Dordrecht. in Judic. Exter. Th. p. 137. Polanus in Partit. Theol. p. 9: *Conditionalis quædam voluntas est, quâ Deus quædam vult cum adjunctâ conditione.* Ludov. Crocius in Syntagm. l. III. cap. 16. p. 594: *Conditionata voluntas est, quâ Deus verè & constanter, sub Conditione tamen aliquid efficere, aut ab aliis effici vult.* Idem facit Polyander Synt. Diss. II. th. 44. Astipulantur imprimis Calvinistæ hypothetici, qui tamen male applicant, & veris multa miscent falsa.

§. 71. Quando autem Adversarius objicit, hanc voluntatem Conditionatam propterea non posse admitti, quia pugnet cum divina ejus sapientia, item cum ejus independentia, simplicitate, immutabilitate, omnipotentia, omniscientia, beatitudine & perfectione, id nullius



lius est momenti. Nam aliud est, esse causam voluntatis DEI aliud, esse hypothesein à Deo ipso suppositam. Dei ergo voluntas hâc ratione non pendet à causâ externa, sed à hypothese, quam ipsemet supposuit. Licet ergo effectum suum non semper exinde consequatur, non tamen propterea aliqua imperfectio, aut omniscientiæ, & omnipotentia labefactatio emergit. Nam Deus intendit finem illum certo ordine, & modo limitatum, qui dum ab homine repellitur, & excutitur, Deus non amittit laudem omniscientiæ, & omnisapientia divina. Sin verò juxta mentem Adversarii hâc voluntas pugnaret cum divinâ sapientia, & omniscientia, &c. tunc sequeretur, etiam Deum cum Saulem regem esse iussit sub certâ obedientia lege, non satis sapienter egisse, quia præscivit, Saulem ori Domini immorigerum fore; item pugnaret contra ipsius sapientiam, & præscientiam, quando Angelos, & Adamum sub certâ lege, & conditione creavit, quos tamen lapsuros prævidit. Hæc omnia Adversario nostro monstravimus in *Disput. nostra de Grat. irresistib.* ad quæ ille nihil.

§. 72. In gratiam Adversarii lubet apponere etiam responsionem Ludovici Crocii, quæ se opponit illis, qui voluntatem antecedentem, & consequentem nolunt admittere, & iisdem fere rationibus illam impugnant, quibus hic noster Adversarius voluntatem conditionatam, quæ quædam Pareo & aliis quibusdam voluntas antecedens, & conditionata eadem fere sit. Ita autem dicitur Lud. Crocius Synt. l. III. c. 16. p. 596: *Si dextrè accipiatur (hæc distinctio de voluntate antecedente & consequente) insignem habet usum ad orthodoxè explicandam in decretis divinis sapientiam, veritatem, bonitatem, & justitiam Dei: ubi cessitant necessario, qui hâc distinctione offenduntur, aut eam ita sinistrè interpretantur, ut neq; cum sua diviso, nempe Dei decreto, neq; cum Dei decernentis natura consentiat, aut conciliari possit. Dicunt enim non congruere Dei decreto 1. quia id reddat incertum, & mutabile, utpote quod suspendat ab humanâ voluntate, quæ nihil incertius, & mutabilius; 2. quia id reddat temporale, quod tum demum fiat, cum in tempore actus humanæ voluntatis exeruntur; 3. quia id reddat inefficax, & tale, cui nulla respondeat executio contra scripturam, Esa. 46. 10: *Consilium meum stabit; Rom. 9, 19: Voluntati eius, quis obsistet?* Hic ita respondet, hasq; objectiones satis doctè profligat: *Has tres objectiunculas diluimus.**



1. communiter eis oggerentiam nostramq; concessionem magnorum Theologorum  
D. Molinei, & D. Wakei, iudiciumq; tum veterum Chrysostomi, Theophy-  
lacti, & aliorum, tum è recentioribus, D. Polani, Rolloci, Aretii, Hemmingii,  
pluriumq; Pelagianismum satis solidè nihilominus refutantium. 2. Ne-  
gando, quod humana voluntatis incertitudo, & mutabilitas intellectum Dei  
omnia penetrantem, & ejus propositum incertet, aut immutet, aut tempori  
subjiciat, aut executione suâ privet. Rectè enim Augustinus Tom 7.  
lib. de Unit. Eccles. c. 9: Quis dubitaverit, quod Judas Chri-  
stum, si voluisset, non utiq; tradidisset; & Petrus, si voluisset,  
ter Dominum non negasset sed ideo fuit de istis certa prædictio,  
quia & Deus etiam futuras providebat voluntates. Et benevolus  
ille affectus, quo Deus ab æterno propendet in omnes creaturas suas, omneq;  
adeo bonum in perpetuo est vigore, etsi eo nunquam illius spretores con-  
tumaces actu beentur, quippe quibus, ut talibus, nunquam salutem dare  
decrevit, nihil refragantibus Esaiæ, & Paulo locis laudatis. Sed & ob-  
ducunt, non congruere (hanc sc. distinctionem) naturæ Dei, 1.  
quia insipientiam, & impotentiam Deo tribuat, quippe qui in-  
tendat, ac desideret aliquid affectu naturali, quod tamen neq;  
assequatur, neque assequi possit per hominem nitentem in con-  
trarium; 2. Quia affingat Deo contrarias voluntates, imprimis  
contra hominis salutem, & exitium, quod nimirum eundem nu-  
dâ voluntate antecedente ab æterno decreverit servare, at volun-  
tate consequente propter incredulitatem decreverit damnare; 3.  
Quia revera Deum homini subjiciat, hominem supra Deum  
extollat, utpote quem à voluntate, & actibus humanis in horas  
mutabilibus suspendat. Hæc Crocius ita enervat: Ad 1. Neque  
insipientia, neq; impotentia signum esse, siquidem Deus, quæ naturæ suæ con-  
gruenter creaturæ velle, obedienti promittat, inobedienti neget, neq; per sa-  
pientie, & justitiæ suæ ordinem à se libere constitutum dare possit, sed con-  
stantiam & rectitudinem potius mentis, & voluntatis arguere, ut cuiq; cla-  
rum est, qui sibi constat. 2. Neque contrariæ voluntates Deo affingi possunt  
ex naturali Φιλανθρωπία Dei, quam voluntatem antecedentem vocant,  
quæ homines, ut homines, salvos vult, & actu voluntatis consequentis, quæ  
Deus infideles, & contumaces, quæ tales, condemnare decrevit. Ratio enim  
diversitatis nimis liquida est, vel ex Reliquiis divinæ imaginis in nobis, qui  
liberos nostros omnes, quæ tales amamus, immorigeros verò eosdem ex-  
heredamus citra injuriam, aut contradictionem, & inconstantiam volun-  
tatis



tatis nostra, ut alias Solutiones hujus Sophismatis omittam. Ad 3. Non aliter hic Deus homini subjicitur, neque aliter homo supra Deum extollitur, atque olim subjectus fuit Jacobo patriarchæ, Genes. 32, 25. isque Deo superior factus est. Et Christus, non potuit virtutem ullam edere propter incredulitatem eorum Marc. VI, 5. 6. & Matth. XIII, 58. Neque Deum ab humanis actibus aliter suspendit, atque Jeremias XIX, 7. 8. 9. & Christus Marc. XVI, 6. & Paulus, 2. Timoth. II, 9. 21. prædicè docuerunt. Ita rectissime Crocius, qui rationes Adversarii nostri solide refutat.

§. 73. Postquam hæc ita à nobis disputata erant, formavimus ipsimet instantias quasdam, quibus etiam nostras subjungimus responsiones. Contra has etiam Adversarius stringit calumiam. Dispiciamus, quid hinc præstiterit? Talia autem nos movimus dubia.

§. 74. Dicitur 1. Ex parte tamen suspenditur Conversio ab hominis irrogeniti arbitrio, si ille repugnare potest, & Conversionem impedire. Respondimus ita: Arbitrium consistit in eo, quod se ad utrumque oppositorum determinare potest. Ubi ergo hæc determinatio locum non habet, ibi non est liberum arbitrium, & per consequens neque ex toto, neque ex parte Conversio ab illo suspenditur.

§. 75. Hanc nostram responsionem ita evertere tentat p. 14: Si ubi determinatio ad utrumque oppositorum locum non habet, ibi non est liberum arbitrium, sequitur, si irrogenitus Deo, ipsum volenti convertere, potest repugnare, resistere, Conversionem impedire, assensum negare, eum quando actu repugnat, resistit, Conversionem impedit, assensum negat, hoc non facere libere, & ex libero arbitrio. Quid ergo? An facit coactè? An coactus repugnat, resistit, Conversionem impedit, assensum negat? Quis igitur cogit eum? Et quomodo hoc consistit cum verbis Christi: Quoties volui congregare liberos tuos &c. & non voluistis, Matt. XXIII, v. 37. Non vultis venire ad me, ut vitam habeatis, Joh. V, 40. Venire ad Christum, ut vitam habeatis, est Credere in Christum, Confer c. 6. 35; Unde patet, Judæos volentes non credidisse, non respuisse.

§. 76. Resp. 1. Loquimur hinc de libero arbitrio, quatenus consideratur in homine irrogenito. 2. Nullum committit absurdum, qui docet, hominem in Conversione sua libere, non agere, ita ut bonum, & malum æquè eligere, vel spernere possit.

F

fit.





fit. In hoc enim consistit vera libertas. Talem autem libertatem Scriptura homini irrogenito penitus derogat. Ita enim Argumentamur: Cujus hominis cunctum figmentum tantum est ad malum, ut non possit intelligere, quæ sunt Spiritus Dei, ille in Conversione sua liberè non agit. Atqui omnis hominis irrogeniti cunctum figmentum tantum est ad malum, *Genes. VI, v. 5. cap. VIII, 21.* ut non possit intelligere, quæ sunt Spiritus Dei, *1. Cor. II, 14.* Ergo, 13. Sententiã hanc probant propriæ *Calvinianorũ* hypotheses. Sic enim inferimus: A cujus libero arbitrio in negotio conversionis non tantum actus, sed & ipsa *divina* dissentendi aufertur, ita, ut trahatur, dum adhuc non vult, ille non agit libere, sed potius coactè. Atqui ab hominum irrogenitorum libero arbitrio in Conversionis negotio non tantum actus, sed & ipsa *divina* dissentendi aufertur, ita ut trahantur, dum adhuc nolunt. Ergo illi non agunt libere, sed potius coactè, & sic nec libere repugnant. Minor probatur. *Helvetii* in Act. Synod. Dordrecht, in Judic. Exter. p. 194. fatentur, non tantum actum resistendi, sed & ipsam *divinam* in conversionis negotio ab homine tolli, *Transisulani* in Judic. Prov. p. 278, idem sentiunt, & asserunt, *Gratiã* regenerationis tollere in homine potestatem dissentendi. *Geldri* in Jud. Prov. p. 224. expresse quoq; scribunt, *gratiam irresistibilem esse vim divinam, quã trahamur potenter, dum adhuc nolimus.* Plura testimonia adduximus in *Disput. nostra de Grat. Irresistib. §. 89. n. 2.* Dispiciat nunc Adversarius, an stantibus hisce hypothesibus, ille asserere possit, hominem in conversionis negotio, libere vel assentiri, vel repugnare?

§. 77. 4. Manifestum itaq; dissensum iterum facit à suis Doctoribus, & confessionibus publicis. Nam illæ in hoc negotio nullum agnoscunt liberum arbitrium. Ita enim *Confessio Helvetica* in Syntagm. p. 68: *Unde sic homini liberum arbitrium tribuimus, ut qui scientes, & volentes agere nos, bona & mala experimur, mala quidem agere semper queamus, bona verò amplecti, & persequi, nisi gratia Christi illustrati, excitati, atque impulsivi, non queamus.* *Confessio Belgica*, quæ in Synod. Dordrecht. (ex quã judicari volunt, sicuti se explicant in fine *Decretor. de Persever. p. 52.*) fuit approbata, & in Syntagm. p. 134. denuo repetita, p. 134. ita sententiam suam declarat; *Rejicimus, quocumq; cum his pugnantia de libero*



libero hominis arbitrio docentur, utpote, qui tantum servus est peccati, nec quicquam ex se habere potest, nisi datum illi sit coelitus. Marloratus super 2. caput ad Philipp. p. 837: Certè unâ hâc sententiâ (sc. Deum velle, & perficere in nobis operari) ruit hominis liberum arbitrium in rebus Dei verè cognoscendis, judicandis, & præstandis. Rivetus in Cathol. Orthod. Tom. 2. Tract. IV. qv. 3. p. 176: In talibus (sc. supernaturalibus) non solum fractum, & attenuatum, sed nullum omnino esse arbitrium, testantur Scripturae dicta, quæ intellectum planè cœcum in rebus divinis ostendunt, Rôm. 8, 6. Ὁποῦνος οὐ πῶς inimicitia adversus Deum, 2. Cor. 3, 5: Non sumus ex nobis idonei ad cogitandum bonum, Eph. 2, 1. Mortui sumus in peccatis. Confer Gen. 6, 5. & cap. 8, 2. Matth. 15, 19. Jer. 13, 23. Et sic passim alii.

§. 78. Distingvimus itaq; inter actus voluntatis naturales, & supernaturales, sive spirituales. In actibus naturalibus homo utiq; agit libere, quo respectu etiam in actionibus moralibus ad utramq; contradictionis partem indifferenter se habet, prout multis id probavimus in vindic. nostris Huterianis Disp. XIV. p. 266. Aliiter verò se res habet in actibus supernaturalibus, sive spiritualibus, quales occurrunt in conversione hominis irrogeniti. Hic certè libere non agit homo, ita ut possit bonum, & malum æquè vel eligere, vel spernere, cum talem libertatem in hoc negotio penitus amiserit, uti jam planissimè monstravimus. Quorsum ergo attinet, tot interrogationibus exclamare, & rem hanc, quam sapientiores inter Calvinistas, & integræ multarum provinciarum confessiones publicè profitentur, imo quam ipsa Scriptura docet, tanquam absurdam & erroneam traducere, & exagitare?

§. 79. Sed considerabimus reliqua absurda, quæ ille ex nostrâ sententiâ absurdè necit. Quomodo hoc consistit, exclamat, cum verbis Christi: Quoties volui congregare liberos tuos &c. & nolulistis! Matth. 23-37. Non vultis venire ad me, ut vitâ habeatis, Joh. V, 40. Unde patet, Judæos volentes non credidisse, & per consequens, habuisse in hoc actu liberum arbitrium.

§. 80. Resp. Exemplum hoc malè nobis opponitur. Judæi enim isti jam dum per verbi prædicationem talem acceperant gratiam, ut potuerint non morosè resistere, si voluissent. Expressè enim Salvator Joh. XV. 32. ad illos dicit: Si non venissem, neq; prædicassem eis, peccatum non haberent, nunc autem ne prætextum quidem habent.



bent. Unde manifestò colligimus, Judæos vires antea accepisse admittendi voluntatem Dei, prædicatione illâ revelatam. Si enim non accepissent, utiq; prætextum habuissent; At Salvator, quia ipsis prædicaverat, expressè dicit, ipsos nullum habere prætextum, quia per prædicationem verbi talis gratia ipsis fuerit collata, ut potuerint non morosè reluctari. Stante ergo hac sententiâ, verum est, *Judæos volentes non credidisse*, & hæc erat repugnantiâ morosa. Aliter verò se res habet cum illis, quibus verbum Dei nondum fuit annunciatum. De illis non licet ita pronunciaré, quippe qui in hoc negotio nullas adhuc acceperunt vires per auditum verbi. Confer supra § 14. & 15.

§. 81. Pergit Adversarius in absurdis colligendis. Ita enim porro instat; *Si irrogenitus potest Deo, ipsum volenti, & intendenti convertere, repugnare, resistere, conversionem impedire, assensum negare, utiq; quando actu repugnat, resistit, conversionem impedit, assensum negat, volens hoc facit, adeoq; libere, ex libertate arbitrii; atque ita ex parte conversio ab hominis irrogeniti arbitrio suspenditur.*

§. 82. Resp. I. Si vera est hæc collectio, sequitur, Apostolum Paulum tanquam regenitum falsa scripsisse, quando Rom. VII. 15. in hæc verba erumpit: *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio.* Jam quærimus ab Adversario, an Paulus liberè malum fecerit? Affirmare hoc nequaquam poterit. Obstat enim diserta laudati Apostoli negatio. Qui enim, quod non vult, facit, ille certè hoc liberè non facit. Paulus autem quod non voluit, fecit. Ergò. Si nunc Apostolus tanquam regenitus in istis rebus spiritualibus haut liberè egit, quis affirmaverit, homines irrogenitos libere agere in ejusmodi rebus?

II. Adversarius hæc suâ assertioni evertit publicas suarum Ecclesiarum, & aliorum suorum Doctorum Confessiones. Ita enim argumentamur: In quibus libertas respectu rerum spiritualium est fracta, & qui sunt servi peccati, imò in quibus nulla prorsus est libertas, vel liberum arbitrium illi etiam liberè non agunt. Atqui in irrogenitis respectu rerum spiritualium libertas est fracta, illiq; sunt servi peccati, imò in illis nulla prorsus est libertas, vel liberum arbitrium. Ergò. Major est satis clara. Minorem probavimus §. 77. ubi confessiones & sententias Calvinianorum Doctorum adduximus, qui disertè ita docent. Stat ergo conclusio firma.

III.



III. Porro ex principiis Calvinianorum sic inferimus: quicumque necessario peccant, & ad ejusmodi repugnantiam impelluntur, illi haut liberè agunt. Atqui reprobi, tanquam irrogeniti ex sententia Calvinianorum necessario peccant, & ad ejusmodi repugnantiam impelluntur. Ergo. Major est manifesta. Minor probatur. Ita Zanchius Lib V. de Nat. Dei Cap. II. pag. 697: *Non dubitamus itaq; confiteri, ex immutabili reprobatione necessitatem peccandi, & quidem sine resipiscentia ad mortem usq; peccandi, cog; & aeternas pœnas dandi, reprobis incumbere.* Calvinus lib. I. Instit. cap. XIII. Num. 4. p. 73: *Homo justo Deo impulsu agit, quod sibi non licet.* Martyr in Epist. ad Rom. fol. 38: *Deus inclinatur, & impellit voluntatem impiorum ad gravia peccata.* Plura testimonia vid. in *Vindiciis nostris Hutterianis* pag. 234. & 281. Si nunc quærit Adversarius à nobis, quisnam hominem irrogenitum ad hanc repugnantiam cogat, & impellat? Responsum jam audivit à suis Doctoribus, quod tamen nos non approbamus: sed illud Pauli Rom. VII. 17. observandum ipsi damus: *Nunc autem jam non operor illud, sed quod habitat in me, peccatum.* Nimirum corrupta per lapsum hominis natura ipsum instigat, at impellit ad hanc repugnantiam.

IV. Quandoquidem ergò respectu rerum spiritualium nullum Liberum arbitrium, aut nulla libertas est in homine irrogenito, quâ sequelâ Adversarius concludet; *Conversionem ex nostra sententia ab hominis irrogeniti arbitrio ex parte suspendi?*

§. 83. Sed absurdorum, quæ ex sententia nostra absurdo modo fingit, nullus adhuc est finis. Porro enim sic proficit: *Imò Conversio ab hominis irrogeniti arbitrio in totum suspenditur, siquidem verum (ut vult Antagon.) liberum arbitrium in determinatione ad utrumq; oppositorum consistere. Nam repugnare & assentiri, assensum negare, & assensum præbere, sunt opposita. At verò irrogenitus ex suis viribus naturalibus liberè potest non assentiri, & non assentitur. Ergo etiam ex iisdem viribus liberè, sive ex libertate arbitrii potest assentiri & assentitur; Et sic conversio ab hominis irrogeniti arbitrio in totum, sive ex toto suspenditur.*

§. 84. Resp. I. Falsum est, quod homo irrogenitus ex suis viribus naturalibus possit liberè non assentiri. Nam cuius hominis omne finitum, vel omnis cogitatio cordis tantum est ad malum, ille in conversione sua, tanquam actu supernaturali,



& spirituali liberè non agit, cum ex pravitate naturali non possit non repugnare, I. Cor. II. 14. Gen. VI. 5. Jam subsume, & absurditatem videbis.

2. Absurdus quoque est, quando colligit; quia repugnare, & assentiri, assensum negare, & assensum præbere sunt opposita, hinc vi oppositionis (ita enim vult concludere) sequi hoc: Irreginitus ex suis viribus naturalibus liberè potest non assentiri, & non assentitur; Ergo etiam ex iisdem viribus liberè, sive ex libertate arbitrii potest assentiri, & assentitur. Et sic conversio ab hominis irreginiti arbitrio in totum, sive ex toto suspenditur. Nam præterquam quod falsum sit, hominem irreginitum in conversione sua liberè repugnare, ut toties hætenus monstravimus, dicimus. Adversarium iterum meris sophisticationibus & argutiis uti. Melius illum hanc rem intellexisse, nullum est dubium. In quem verò finem tales necitricas? Nam etiam illi, qui studia Philosophica mediocriter saltem tractarunt, hæc technas & sophisticaciones observant. Noverit autem (hoc verò jamdudum ipsum nosse, extra dubium ponimus) oppositorum opposita esse consequentia, si sc. sint paria, & adæquatè opponantur, nec per excessum, aut defectum. Jam verò repugnare & assentiri haut adæquatè opponuntur; Ratio est, quia repugnantia in irreginito consistit in summo gradu, id quod de non repugnantia dici non potest. Nam qui jam per admissionem verbi incipit converti, nec ulterius repugnat, id non facit eo gradu, & modo, sed in hoc negotio sua capit augmenta. Repugnantia ergo in irreginito est summè & perfectè mala, non repugnantia verò, quæ irreginitus jam incipit converti, haut est summè perfecta, sed successivè perficitur. Hinc etiam ipsa nostra regeneratio hæc in vitâ est imperfecta.

§. 85. Secunda instantia, quam ipsimet veritatis declarandæ causa proposuimus, fuit hæc: *Dicis 2. cum Wendelino liberum arbitrium per gratiam ita afficitur, ut velit, & efficiat.* Respondimus ita: Concedimus & hoc, si sano sumas sensu. Nimirum afficitur arbitrium non modo irresistibili, sed per verbum, ut velit, & efficiat, ita tamen, ut homo liberè credens retineat intrinsecam facultatem hæc, & nunc non credendi. Vide D. *Hülsem. de Auxil. Grat. p. 316.*

§. 86. Adversarius contra ita: *Si res ita se habet, gratia conversionis*



versionis nihil erit aliud, nisi *suasio moralis*, externa per verbum, & interna per Spiritum S. Et sic homines irrogeniti, qui convertuntur, à Deo non possunt dici converti, & credere supereminenti, & vincenti magnitudine potentiae Dei secundum efficacitatem roboris virium ipsius, quam exeruit in Christo, quum suscitavit ipsum ex mortuis: Neq; fides est fides efficacia illius virtutis Dei, qui suscitavit Christum ex mortuis, Eph. 1. 19, 20. Col. 11. 12. Neq; enim id, quod isto modo à Deo efficitur, *suasione morali* à Deo effici dici potest, sicut Christum *suasione morali* non suscitaverit ex mortuis, quia suscitavit eum pro efficacitate roboris virium suarum. Quare si Deus nihil aliud confert ad conversionem hominis, nisi *moralem suasionem*, sequitur, Deum non esse causam conversionis hominis, nisi *moralem*, ipsum verò irrogenitum esse causam conversionis *suae physicae*, eamq; viribus suis naturalibus efficere; quod Pelagianum ipsius partis adversae iudicio.

§. 97. Resp. 1. Falsum est, quod ex nostrâ sententia sequatur, gratiam conversionis nihil aliud esse, quàm *suasionem moralem*, externam per verbum, & internam per Spiritum S. Quo argumento hoc probabit Adversarius? Ille sequelas necit absq; ulla additâ ratione. Nos concesseramus, *liberum arbitrium per gratiam ita affici, ut velit, & efficiat, verum non modo irresistibili, sed per verbum, ita tamen, ut homo liberè credens retineat intrinsecam facultatem hinc, & nunc non credendi*; Exinde ille colligit, sequi ex hac sententia, gratiam conversionis nihil aliud esse, quàm *suasionem moralem*. Sed quomodo, & quo medio termino id exinde elici possit, non addit. Talem disputandi modum nos ignoramus.

2. Eâdem falsâ consequentiâ ille nobis hanc absconam, sententiam attribuit, quasi verbum, & Spiritum S. in Conversionis negotio separemus. Addit enim, ex nostra sententia sequi, gratiam Conversionis nihil aliud esse, quàm *suasionem moralem, externam per verbum, & internam per Spiritum S.* Hinc iterum quaerimus, quâ ratione, & quâ connexionem id exinde sequatur? Argus erit, qui has subtiles sc. observaverit Consequentias. Hoc verò sequitur, quod gratia conversionis à Deo non per vim quandam irresistibilem, à verbo separatam, sed per verbum, tanquam medium ordinarium, & causam realem, ac physicam hominibus conferatur. Verbum enim cum Spiritu S. semper est conjunctum, & habet realem, & insitam suam virtutem homines



mines convertendi; minimè autem hoc præstat suasio moralis, prout hoc supra ostendimus §. 19.

3. Eâdem futili Consequentia concludit, *sequi sic, homines irregentos, qui convertuntur, à Deo non posse dici converti, nec credere supereminenti, & vincenti magnitudine potentia Dei, secundum efficacitatem virium roboris ipsius &c.* Sed denuo desideramus rationes hujus sequela. Redigamus verò hunc discursum in Syllogismum, ut melius de illo judicare possimus. Talis exinde emergit: Si arbitrium haut modo irresistibili, sed per verbum afficitur, ut velit & efficiat, tunc sequitur, homines irregentos, qui convertuntur, à Deo non posse dici converti, nec credere supereminenti, & vincenti magnitudine potentia Dei.

Antecedens ex nostrâ Sententiâ est verum. Ergo & consequens.

Resp. 1. Connexionem Antecedentis cum consequente ille debebat probare, sed more suo iterum transilit. 2. Pessimè verbum à Deo, ejusq; efficacia separat. Nulla enim est Consequentia: Si homines convertuntur per verbum; Ergo non possunt dici converti à Deo. Verbum enim à Deo, ejusq; virtute nunquam separatur. 3. Si per *supereminentem magnitudinem potentia Dei* intelligit gratiam irresistibilem, falsa loquitur. Monstravimus id supra §. 26. seqq. Nam dictum Eph. I, 19. ubi hæc verba leguntur, non agere de gratia Conversionis, concedunt multi, iiqve primarij inter Calvinianos Doctores. Etiam si verò res ita se haberet, haut tamen sequeretur, Conversionem, quæ fit per verbum, non posse dici, quod fiat supereminenti virtute, vel potentiâ Dei. Nam virtus illa divina, quæ verbo est indita, revera est supereminens magnitudo potentia divinæ, quia potest *Salvare animas hominum*, Jac. I, 21. Est potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. I, 16. Haut verò necesse est, ut sit, irresistibilis. 4. Cadit sic etiam, quod porro annectit, *sequi quoque, fidem non esse fidem efficacis illius virtutis Dei, qui suscitavit Christum ex mortuis.* Aliud enim est, produci ab efficaci virtute Dei, Aliud à gratia irresistibili. Prius rectè affirmatur, haut verò posterius. Ratio, quia Deo non placuit, in Conversionis modo ordinario secundum potentiam suam absolutam nobiscum agere, quod toties monstravimus, sed secundum potentiam ordinariam.



riam. Addimus, quod Scriptura clarè asserat, fidem sc. apud  
adultos esse *ex auditu* (verbi divini) *Rom. X. 17.* Ergo non ex gra-  
tia irresistibili, quæ à verbo est separata. 5. Notandum quoq; est,  
quod Adversarius allegatum dictum *Eph. 1. 19.* adulteret. Nam is  
colligit, *sequi ex nostrâ sententiâ, homines irrogenitos, qui convertun-  
tur à Deo, non posse dici converti, & credere supereminenti, & vincenti  
magnitudine potentie Dei &c. Eph. 1. 19.* Verùm de verbo *vincenti*  
in textu authentico nihil habetur. Ille itaq; ut gratiam irresisti-  
bilem, figmentum illud putidum, magis exornet, & commen-  
det, de suo adjecit istud vocabulum.

§. 88. Sponte suâ sic quoq; ruunt reliqua absurda, quæ  
ille fabricare tentat; in primis, quod ex nostra sententia sequatur,  
hominem irrogenitum esse causam conversionis suæ physicam,  
eamque viribus suis naturalibus efficere, quod sit Pelagianum.  
Nam haut ulla ratio connexionis hîc iterùm deprehenditur.  
Quando enim verbo divino, ipsiusq; operationi hoc ascribimus,  
quâ consequentiâ id homini irrogenito, ipsiusq; viribus naturali-  
bus ascribi potest?

§. 89. Ultima tandem nostra instantia, quam in citatâ  
*Disp. ad 3.* Argumentum proposuimus, vindicanda est. Tale au-  
tem dubium movimus: *Dicis III. cum Wendelino, obstare dictum al-  
legatum ex Phil. II. 13. Si enim Deus velle, & perficere in nobis operatur,  
tunc arbitrium ita afficitur, ut non repugnet.* Respondimus ita: *Dictum  
ex Phil. 2. 13. ad rem nihil facit. Nihil enim hîc de irresistibilitate.  
Nos potius contra Wendelinum ita concludimus: Quicumq; in  
nobis velle, & perficere (sc. modo ordinario in verbo divino  
præscripto) operatur, ille in conversione non agit modo irresi-  
stibili, neque peculiari operatione divinâ, à verbo separatâ. Deus  
in nobis velle, & perficere tali modo operatur. Ergo. Hoc  
enim Apostolus semper præsupponit, quod Deus velle, & perficere  
per suum verbum in nobis operetur; aliàs sequeretur ver-  
bi in conversione nostra nullum esse usum, quod absurdissi-  
mum. Deum ergo agere in Philippæis, ut & velint, & efficiant,  
Apostolus asserit, de donatione, ac efficacia irresistibili, nihil. Si  
Dominus tolleretur ipsam resistibilitatem, inquit *D. Dannenhauer  
in Hodom. Spir. Calv. p. 1973.* tolleretur ipsum peccatum originale,  
tolleretur omnem luctam in irrogenito, quod nemo Calvinianorum  
concedit.*

G

§. 90.





§. 90. Ad hæc Adversarius sic insurgit: *Dictum Phil. II, v. 13. ad rem maximè facit. Dicitur enim ibi Deus in nobis efficere & ipsum velle, & ipsum agere ἐν τῷ εὐδοκίᾳ pro beneplacito. Aut igitur Deus efficit in nobis & ipsum velle, & ipsum agere tanquam causa Physica infinita suâ potentiâ, & irresistibili in ipsum velle, & in ipsum agere, realiter influens, aut tanquam causa moralis precipiendo, hortando, suadendo, promittendo. Si prius, probata est irresistibilitas; Si posterius, vicit Pelagius. Hunc vicisse, saltem verbo nolunt. Concedenda est igitur irresistibilitas.*

§. 91. Resp. 1. Falsum est, dictum *Phil. 2, 13. ad rem maximè facere.* Probat id Adversarius 1. inde, quia Deus dicitur *illud velle, & illud agere efficere in nobis ἐν τῷ εὐδοκίᾳ pro bona voluntate, vel beneplacito.* Sed qualis quæso consequentia? Deus in nobis ipsum velle, & ipsum agere efficit pro beneplacito suo; Ergo gratiâ irresistibili? Ubi in tota S. Scriptura beneplacitum Dei pro gratiâ irresistibili sumitur? Loca ostende! Consule imprimis *Ravanellum* tuum, qui loca Scripturæ in *Bibliotheca sua* probè excussit, sed talem significationem hujus vocis reperire non potuit. Neque *Pasor in Lexico suo* talem monstrare potuit. Rectè ergo *Flacius* in *Clave* f. 78. edit. noviss: *In genere due sunt hujus vocis significationes, altera passiva, cum nobis aliquid valde placet, tanquam nobis salutare ac suave, quod per acquiescentiam, ac fruitionem denotatur; altera activa, cum beneplacet aliquid, cui nos gratis ac sponte favemus, quod voce favoris, & gratuita gratia exprimi potest.* Beneplacitum ergo istud non est absolutum, gratiam irresistibilem inferens, sed ordinatum, ad media sc. à Deo ordinata, quæ Adversarius ipsemet agnovit, p. 2.

2. In Syllogismo disjunctivo corrigimus Antecedens hoc modo: Aut Deus efficit in nobis, & ipsum velle, & ipsum agere, tanquã causa physica infinita, *ordinariâ suâ potentiâ* in ipsū velle, & in ipsum agere realiter influens &c. Nam datur *Crotiū*, & hoc sensu concedimus propositionem. Nam beneplacitum illud Dei irresistibilitatem, & absolutam potentiam in hoc negotio prorsus excludit, uti toties monstravimus. Posterius verò hîc admitti non potest, quia causa moralis non agit per propriam suam entitatem, & efficaciam. Talis enim causa verbum Dei non est, uti monstravimus §. 19. Sic ergo nec irresistibilitas fuit probata nec  
*Pela-*



*Pelagius* vicit. Dispiciant autem Calviniani, ne ipsimet in castris Pelagianorum militent per hypothefin suam de Suafione morali, Vide §. 19.

§. 92. Miratur autem porro exclamando: *Sed quid hoc, Deum in Conversione nostra non agere peculiari operatione divinâ à verbo separatâ?* Respondet: *Verbi Dei operatio non est alia, nisi moralis, nempe præceptio, prohibitio, adhortatio, dehortatio, suasio, dissuasio, promissio, comminatio.*

§. 93. Resp. Si vera hæc sunt, vicit *Pelagius*. Repetimus nostrum argumentum supra §. 21. propositum, ut eò melius vim illius consideret: Si Verbi Dei operatio non est alia, nisi moralis, nempe præceptio, prohibitio, adhortatio, dehortatio, suasio, dissuasio &c. tunc sequitur, hominem nondum regentem, apud quem talis verbi operatio adhibetur, habere potentiam, & quasdam vires residuas, quibus hisce suasionibus, & præceptionibus possit locum relinquere. Nam ut *Rivetus* ait *Disp. IX. de Gratiis. Dei Disp. p. 172: Omnis moralis suasio potentiam & vires in eo supponit, qui suadetur, secus irrita est suasio, & consilium.* Antecedens juxta *Adversarium* est verum. Ergo & consequens. Verbum itaq; quatenus est moralis actio, efficaciam insitam destituitur, & ad conversionem hominis irrogeniti prorsus est inidoneum.

§. 93. Fingit autem plura adhuc absurda, quæ ex nostrâ sententiâ juxta ipsius opinionem fluunt. Felix enim est absurdorum faber. *Sin ita*, inquit, (sc. si Deus præter operationes istas, videlicet suasionem, & dissuasionem &c. nullam aliam peculiarem, & ab his diversam, & essentialiter separatam actionem confert) *nulla alia erit causa physica Conversionis, quam ipse homo irrogenitus naturalibus suis viribus seipsum convertens.*

§. 94. Resp. 1. Mira iterum sequela! Ostendat nobis rationem hujus? Lynceis oculis instructus sit, necesse est, qui illam videat.

2. Verbum ut est causa moralis, quæ nullâ propriâ virtute & efficacia prædita est, Conversionem in homine irrogenito non producit. Ostendimus hoc latè supra §. 18.

3. Si operationem Dei efficacem à verbo divino separas, & aliam extra verbum divinum fingis, *Schwencfeldianis, Enthusiasticis, & hodiernis Quackeris* latas aperis fenestras, utpote qui etiam peculia-



peculiarem Dei operationem, & raptus enthusiasticos extra verbum fingunt, & propugnant. Verbum itaque nullibi in totâ S. Scriptura ita describitur, quod propriâ virtute & efficaciâ sit destitutum. Aliud evincunt loca, supra §. 19. à nobis adducta.

§. 95. Circa finem aliquid nobis concedere videtur, quod alii negant, quodque ipsemet antea tanquam falsum rejecit. Nimirum cum b. D. Dannenhauero opposueramus, si resistibilitas ab homine in conversionis actu tolleretur, tunc sequi, quod ipsum peccatum originale tolleretur, & simul omnis lucta in regenito. Ad hoc respondet concedendo, in Conversione hominis resistibilitatem non tolli. Hæc enim sunt ipsius verba: *Cæterum de resistibilitate quod dicitur, non est, quod Deus tollat eam in conversione hominis.*

§. 96. Resp. Quomodo hæc conciliabit cum illis, quæ in Synodo Dordrechtana, cui contradicere, ipsi piaculum erit, publicè proposita, & approbata fuerunt? Nam expressè ibidem professi sunt, & quidem sine ullius contradictione, in hominis irrogeniti conversione non tantum actum, sed & potentiam resistendi auferri. Ita ibidem conceptis verbis Helvetii in Judic. Exter. p. 194: *Deus in Conversione hominis non tantum actum resistendi, sed ipsam divinitatem in ipsis debellat, & tandem tollit.* Gemina his ex dicta Synodo adduximus in nostra *Disp. de Grat. Irresistib.* §. 6. & 89. Jam ita argumentamur: à quocunque non tantum actus, sed & ipsa *divinitas* vel potentia resistendi est ablata, ille amplius eam non habet; ratio quia ubi potentia, vel facultas resistendi est ablata, ibi non potest adesse.

Atqui ab homine irrogenito in ipsius conversione non tantum actus, sed & ipsa *divinitas*, facultas, vel potentia resistendi est ablata. Ergo.

Porro sic inferimus: Si in conversione hominis non tantum actus, sed & ipsa *divinitas* vel facultas resistendi penitus tollitur, sequitur, quod & ipsum peccatum originale tollatur: Ratio, quia peccatum originale consistit in ejusmodi repugnantia, cum expressè ab Apostolo ita definiatur: *Caro concupiscit adversus Spiritum, Gal. V. 17.* Confer *Rom. VII. 7. 17. 18.* Sed Antecedens est verum juxta Testimonia ex Synodo Dordrechtana adducta.

Ergo



Ergo & consequens. Jam si hoc, sequitur quod in regeneratis nul-  
lum amplius sit peccatum originale, quod falsum, & scriptu-  
rae repugnat.

§. 97. Videat ergo Adversarius, an non stante hac  
suorum sententiâ, in Pontificiorum castris militent, utpote qui  
expressè docent, peccatum originale in regeneratione prorsus  
deberi. Crassius autem hic est error. Quamdiu enim homo  
vivit, tamdiu peccatum originale secum circumfert. Hinc illud  
vocatur *ἐν πνεύματι ἀμαρτία*, circumstans nos peccatum, Hebr. XII.  
1. quod in nobis habitat, Rom. VII, 17. & nobis adjacet ibid. v. 21. Ea  
de causa etiam regeneratio nostra est imperfecta, quod fatentur  
ipsimet Calviniani; vide præter alios Polanum in *Partit. Theol.* l. 1. p. 136.

§. 98. Prævidit verò, hanc ipsius sententiam absurditates non  
leves inferre, & salvâ veritate non posse subsistere: hinc limi-  
tationes quasdam affert. Ita enim porro se explicat: *Non est,*  
*quod Deus tollat resistibilitatem in conversione hominis. Talis enim, qua-*  
*lem intelligit pars adversa (quâ sc. homo Deo, ipsum convertere volenti, &*  
*intendenti, possit resistere) non datur. Potest quidem homo actionibus ver-*  
*bi Dei, quæ sunt morales, resistere, si intentio Dei, ejusq; actio, seu operatio*  
*Physica, & omnipotens ab iis sit sejuncta, non autem, si cum iis sit conjun-*  
*cta. Neque per conversionem in homine converso resistibilitas tollitur;*  
*Nam & homines conversi peccant, & quoties peccant, verbo Dei, utpote*  
*omne peccatum prohibenti, non obsequuntur, sed ei resistunt, idq; faciunt,*  
*quod verbo Dei repugnat.*

Resp. 1. Si talis resistencia non datur, qualem nos docemus,  
sequitur, falsum esse, quod *Judæi semper Spiritui S. restiterint,*  
*Act. VII. 51.* Contrarium verò expressè, asserit *Stephanus loco cit:*  
*Quod verò ista resistencia talis fuerit, qualem nos asserimus, pro-*  
*bamus ita: Aut Judæi restiterunt Spiritui S. per verbum suum*  
*operanti, vel operari intendenti, aut sine verbo operationes*  
*exercenti. Si prius, habemus quod volumus; Sin posterius, fin-*  
*gis, Spiritum S. sine verbo in negotio salutis operari, quod est*  
*dogma Enthusiastarum & Quackerorū: imò fingis, verbum esse absq;*  
*propriâ virtute & insitâ efficacîâ, & per consequens, fateri te*  
*oportet, Judæos haut verbo divino, sed Spiritui S. ejusq; opera-*  
*tionî a verbo separata restitisse. Ubi verò Scriptura ita loquitur?*  
*Loca & Testimonia affer? Imò propriam evertis hypothesin,*  
*dum*



dam scribis, & passim inculcas, *operationi & potentia Spiritus S. neminem posse resistere*, vid. p. 6. & 13. *in a Disputat.*

2. Ista resistibilitas, quocumque modo illam sumas, nihil aliud est, quam peccatum, uti ipsemet concedis. Jam si potentia & facultas resistendi, ab homine in conversione auferatur, sequitur, ipsam potentiam peccandi saltem eo respectu, quo accipis, esse à tali homine ablatam, & per consequens, illum peccare amplius non posse, quod est absurdum.

3. Si homo potest actionibus Verbi Dei resistere, quatenus intentio Dei, ejusque actio physica, & omnipotens ab iis est se juncta, non autem quatenus cum iis est conjuncta, sequitur, quod duplex detur Verbum Dei, unum, quod sit absque intentione & operatione divina, alterum, quod sit cum tali operatione & intentione conjunctum. Sed unde hoc probabitur? Scriptura non nisi unum Dei verbum nobis proponit, & monstrat, ac nusquam duplicis verbi divini mentionem facit. Sed cessamus plura cumulare absurda. Quæ adduximus, per justas, & legitimas monstravimus Consequentias.

§. 99. Vidimus autem hactenus, quibus telis Adversarius pro *Wendelino* pugnaverit! Vidimus, quid præstiterit, & quo successu tria ipsius priora argumenta vindicaverit! Candido Lectori judicium nunc relinquimus. Videat, & judicet, an ulla ex parte argumenta nostra hisce obtusis telis fuerint labe factata? Causa nostra bona est, & immotis nititur Scripturæ fundamentis. Meræ itaque fuere nebulæ, quas Adversarius veritatis luci aspergere conatus fuit. Deum veneramur, ut ipsum illuminet, quò veritati cedat, & putidum istud commentum de irresistibili gratia, quod tota S. Scriptura ignorat, ulterius palliare, & exoculari cesset! Sin autem ipsi placuerit, reliqua sex *Wendelini* argumenta, ut & *Parai*, quæ nos simul in Disputatione nostra confutavimus, defendere, habebit nos ad nostra vindicanda paratissimos. In ære ipsius, si Deus nobis vitam prorogaverit, non manebimus. Hoc sibi certò promittat. Sin quoque integram nostram Disputationem, quatuor capitibus constantem, in quibus hanc confictam gratiam irresistibilem penitus evisceravimus, & protrivimus, aggredi ipsi allibuerit, nobis non erit ingratum. Sic enim commentum istud (gratia irresistibilis) in  
con-



conspectum Ecclesiæ Christianæ magis magisque produceretur, & fons illius venenatus, ex quo scaturit, (absolutum sc. decretum) omnibus piis Christianis eò magis execrandus, & detestandus reddetur, prout per Dei gratiam in *Hollandia*, in multis locis hodie fuit factum, quâ de re videndus *Arnoldus Poelenburg in Epist. dedicat. Tractatus contra Frider. Spanhemium de V. Articul.* Unum verò est, quod amicè monemus; Nimirum si ipsi erit mens animi, posthac nobiscum disputare, rogamus, ut affectus, & verba aculeata seponat, ita ut res cum re certet, nec verbis bilis admisceatur. Hunc morem nos quoque observabimus. Haut enim delectamur acerbitate verborum, cum illa ad rem nihil faciant, nec veritas hâc ratione eliciatur, & promoveatur. Nos pedem hic figimus, à DEO supplicibus votis petentes, velit nos in orthodoxia nostra clementer conservare, errantesque in viam reducere, imò & afflictæ Germaniæ pacem ex gratiâ restituere!

**Ipsi sit laus & gloria in secula non finienda!**

Sphalmata quædam ita debent emendari:

§. 1. lin. 10. leg. *Wendelinus*. §. lin. 2 pro *affirmativam* leg. *negativam*. §. 3. lin. 4. iterum pro *affirmativam* leg. *negativam*. §. 30. lin. 1. pro *prepositi*, leg. *propositi*. §. 31. lin. 3. leg. *reddidit*. §. 41. lin. 11. pro *suum*, leg. *suarum*. §. 50, post p. 245. claudatur parenthesis hâc signo ). §. 52. lin. ult. pro *hâc sententia Convinei potest*, leg. *hanc sententiam Convinei posse*. §. 53. lin. 13. leg. *Hodomer*. *ibid.* lin. 16. pro *distinctas*, leg. *destitutas*. §. 57. lin. 1. post *Resp.* dele 1. §. 77. lin. 10. post vocem *Syntagm.* dele p. 134. §. 82. num. 2. lin. 1. pro *assertioni*, leg. *assertione*. *Ibid.* num. 3. lin. 10. pro *Deo* leg. *Dei*. *ibid.* lin. 19. pro *at*, leg. *ac*. *Cæra*, quæ visum fugerunt, benevolus Lector ipse corriget.





Faint, illegible text in a medieval script, likely Gothic or similar, covering the upper half of the page. The text is mirrored across the gutter, suggesting bleed-through from the reverse side.

Non stans & gloriosus non stans!

Second block of faint, illegible text in a medieval script, covering the lower half of the page. Like the first block, it appears to be mirrored bleed-through from the reverse side.





00 A 6344


3  
ULB Halle  
002 847 086  


Retro ✓


W/A











50

DISPUTATIO APOLOGETICA

*Contra*

D. JOH. HEINIUM, PROF. PUBL.

IN ACADEM. MARBURG.

Qui ex novem WENDELINI Argumentis

pro

GRATIA IR-  
RESISTIBILI

In medium allatis, & ante-hac à nobis

confutatis, tria priora ante triennium vindicare mo-

litus fuit, reliqua verò hæcenus intacta

reliquit;

*Veritatis & Orthodoxiæ defendenda gratia publicè*

*proposita,*

PRÆSIDE

GEORGIO MOEBIO,

TH. DOCT. ET PROF. PUBL.

Respondente,

M. JOH. VALENTINO LYSTHENIO,

*Martisburg. Misn.*

In Auditorio Theol. Paulino,

*Die XXIX. Augusti. Anno Æϰαϰωτῆϰαϰ M DC LXXVI.*

LIPSIÆ, Literis JOH. GEORGI.

4.

